PHARMACOPOEA

AUSTRIACA.

EDITIO OCTAVA.

PHARMACOPOEA

AUSTRIACA.

EDITIO OCTAVA.

VIENNÆ.
CÆS. REG. AULÆ ET IMPERII TYPOGRAPHIA.

1906.

Verordnung des k. k. Ministeriums des Innern

vom 8. Jänner 1906, Z. 56858 ex 1905,

gültig für alle im Reichsrate vertretenen Königreiche und Länder,

betreffend die achte Ausgabe der österreichischen Pharmakopöe.

Aus Anlaß des Erscheinens einer neuen Ausgabe der österreichischen Pharmakopöe unter dem Titel: „Pharmacopoea Austriaca. Editio octava. Viennae. C. R. Aulae et Imperii Typographia. 1906“, wird verordnet:

Vom 1. Juli 1906 an ist nach den Vorschriften der neuen Pharmakopöe, Edit. VIII., in allen öffentlichen Apotheken, in den Anstaltsapotheken, sowie in den Hausapotheken der Ärzte und Wundärzte zu dispensieren.

Sämtliche Apotheker haben daher die erforderlichen Vorbereitungen zu treffen und sich mit einem Exemplare dieser neuen Ausgabe der Pharmakopöe zu versehen.

Desgleichen muß in jeder Hausapotheke eines Arztes oder Wundarztes ein Exemplar der Pharmakopöe vorhanden sein.

Alle Amtsärzte, die Praxis ausübenden Ärzte, Wundärzte und Tierärzte, sowie die Apotheker haben sich mit dem Inhalte derselben genau bekannt zu machen und sich darnach zu benehmen.

Diese Anordnung ist von den politischen Behörden in geeigneter Weise noch besonders zur Kenntnis des ärztlichen und tierärztlichen Personales und der Apotheker zu bringen.

Bylandt m. p.

Index.

Praefatio.

Experientiae et acquisitiones numerosae nec non res novae spectantes universam therapiam ab anno MDCCCLXXXIX, quo editio VII. Pharmacopoeae Austriacae typis vulgata fuit, medicamina numerosissima nova introducta in therapiam, progressus insignes Pharmaciae et eius disciplinarum fundamentalium: artis chemiae pharmaceuticae et pharmacognosiae nec non techniae pharmaceuticae — additamentis anno MCM promulgatis nonnisi desideriis urgentissimis succurrentibus — consilium maxime necessarium esse probabant, codicem praesentem renovandi et loco editionis VII. editionem VIII. elaborandi.

C. R. Ministerium rerum internarum, cui suprema salutis publicae cura delata est, consilio pro negotiis sanitatis supremo, quod illi Ministerio adiunctum est, rogato, eidem mandatum dedit novam

hanc editionem Pharmacopoeae elaborandi. Ad hunc finem consilii sanitatis supremi collegium pharmaceuticum speciale, in quo consiliarii disciplinarum medicinalium praecipue gnari et pharmacopolae e gremio pharmaceutico nec non e societatibus pharmaceuticis Vindobonensibus conveniunt, mandatum accepit omnibus prospiciendi, quae in exaranda nova editione animadvertenda sint et ut labor prospere succedat, principia et rationes labore suggesta in commentario exponendi, quae et ulteriori deliberationi pro fundamento inservire possint.

Collegium pharmaceuticum speciale commentarium desideratum elaboravit unacum elenchis illorum medicaminum, quae omittenda et quae in novum codicem recipienda essent.

Hoc commentarium cum elenchis, a consilio sanitatis supremo comprobatis, a C. R. Ministerio praefecturis omnium regnorum et provinciarum transmissum fuit, ut consiliarii, quibus in provinciis cura rei medicinalis delata est, aliique artis medicae et pharmaceuticae consulti votum emittant, num dispositiones in elenchis propositae desideriis medicorum ac indigentiis commercii in officinis pharmaceuticis illic obviis respondeant et qua ratione ipsi

codicem medicamentarium novum exaratum esse velint. Demum et nosocomiorum Vindobonensium collegia medicorum primariorum nec non professores, qui diversis clinicis praesunt, invitati sunt indicare, quae medicamina in elenchum recipienda, quae omittenda essent et quas formulas editionis VII. emendandas censerent.

Relationes et sententias ad hanc rem ex omnibus imperii partibus delatas consilium sanitatis supremum selegit et collegio pharmaceutico speciali ad novam editionem codicis curandam constituto intimavit, ut de desideriis in provinciis existentibus edoctum, in opere componendo eorum iustam rationem habeat.

Operi confecto, nunc editione VIII. in lucem prodeunti subsunt principia sequentia:

In selectione medicaminum, quae materiam novi codicis constituunt, prae caeteris rationes scientificae et clinica experientia consulta fuerunt. Omissa sunt medicamina, quae lapsu temporis raro nonnisi vel omnino non ab artis medicae peritis praescribuntur et aptius remediis principiis nunc vigentibus accomodatis suppleri possunt; porro medicamina dubiae ac variabilis efficaciae, demum diversa simplicia, quae non partes activas constituentes prae-

parati compositi sistunt, sed nonnisi adminicula technica in quibusdam eiusmodi praeparatis, denique partes vegetabiles nonnullae in vulgus notissimae, praesertim fructus, qui usui pharmaceutico nonnisi recentes inserviunt.

Sed videbantur et nonnulla medicamina simplicia in codicem recipienda, quae in singulis provinciis aut communiter repraesentant remedia in vulgus notissima et maxime necessaria in pharmacopoliis petita, quorum alia crebriori adulterationi subiecta sunt, alia cum similibus sed vilioribus, imo nocuis, toxicis permutari possint.

Medicamina ultimis decenniis partim arte chemica effecta, partim e vegetabilibus depromta in commercio obvia, quae thesaurum therapeuticum nimium augent, non permiscue novo codici inserenda sed nonnisi ea recipienda videbantur, quorum efficacia non solum experimentis pharmacologicis et toxicis investigata, verum etiam circumspecta clinica experientia comprobata est, quorum constitutio chemica constans, origo et provenientia certae habentur quarumque indoles incorrupta expedite dignosci potest.

Hanc ob causam praeparata sic dicta organotherapeutica nec non sera medicabilia in codicem

novum non sunt recepta, sed eorum commercium ac modus dispensandi decretis specialibus C. R. Ministerii reservantur.

Quum praeparata chemica, quae usui therapeutico inserviunt, optimae indolis in commercio obveniunt, hinc plurima eorum facilius emi, quam et quidem nonnisi maioribus impensis et minoris qualitatis in officinis pharmaceuticis parari possunt, formulae ad paranda praeparata chemica officinalia nonnisi perpaucae in codice novo praescribendae erant.

Medicamenta, in elencho sequente nominata, ex editione VII. non sunt recepta in textum editionis VIII.:

Acidum chromicum, Acidum nitricum dilutum, Alumen ustum, Amylum Marantae, Antidotum Arsenic albi, Aqua Amygdalar. amar. conc., Aqua Amygdal. amar. diluta, Aqua Cinnamomi simplex, Aqua Melissae, Aqua Rubi Idaei, Aqua Salviae, Axungia Porci benzoata, Calcium carbonicum nativum, Calcium carbonicum purum, Cortex fructus Citri, Cortex Salicis, Decoctum Sarsaparillae comp. fortius, Decoctum Sarsap. comp. mitius, Electuarium aromaticum, Extractum Aconiti, Extractum Conii, Ferrum citricum ammoniatum, F. et Natrium pyrophosphoric., F. sulfuricum, Folia Coca, F. Menthae crispae, Gelatina Liquiritiae pellucida, Herba Capilli Veneris, Herba

Spilanthis, Hydrargyrum biiodatum rubrum, Hydrargyrum chloratum mite praecip. paratum, Kalium carbonicum solutum, Kalium sulfuratum, Lactucarium, Magnesium citricum, Maltum, Massa pilularum Ruffi, Mel rosatum, Mucilago Cydoniae, Oleum Anisi, Oleum Bergamottae, Oleum Carvi, Oleum Caryophyllorum, Oleum Cinnamomi, Pasta gummosa, Pasta Liquiritiae flava, Radix Aconiti, Rotulae Menthae piperitae, Sapo Venetus, Semen Cydoniae, Sulfur sublimatum (venale), Syrupus Capilli Veneris, Syrupus Citri, Syrupus Papaveris, Terebinthina Veneta, Tinctura Aconiti, Tinctura Catechu, Tinctura Spilanthis composita, Unguentum rosatum, Vinum Colchici, Vinum Marsalense.

In codicem novum recepta sunt medicamina sequentia:

Acetum pyrolignosum crudum, Adeps Lanae, Aether pro narcosi, Aether Petrolei, Aethylum chloratum, Alcohol absolutus, Anetholum, Aqua chloroformiata, Argentum foliatum, Bismuthum subsalicylicum, Carvonum, Charta nitrata, Chloroformium pro narcosi, Cinnamalum, Cortex Quillaiae, Cortex Viburni, Emplastrum saponat. salicylatum, Eugenolum, Extractum Chinae fluidum, Extractum Colae fluidum, Extractum Dulcamarae, Extractum Fungi Secalis fluidum, Extractum Hamamelidis fluidum, Extractum Rhei compositum, Extractum Viburni fluidum, Folia Farfarae, Folia Hamamelidis, Folia Iaborandi, Folia Iuglandis, Fructus Myrtilli, Fructus Sennae, Fungus Laricis, Gossypium depuratum, Guaiacolum carbonicum,

Gummiresina Gutti, Herba Adonidis, Herba Convallariae, Herba Equiseti, Herba Maioranae, Herba Polygoni, Hydrogenium hyperoxydatum solutum, Kalium hydrooxydatum solutum, Kreosotum carbonicum, Morphinum diacetylicum, Natrium hydrooxydatum solutum, Oleum Betulae empyreumaticum, Oleum Caiuputi, Oleum Sesami, Paraffinum liquidum, Phenylum salicylicum, Pilulae Acidi arsenicosi compositae, Pilulae Kreosoti, Plumbum iodatum, Protargolum, Radix Petroselini, Semen Colae, Semen Foeni graeci, Species diureticae, Spiritus Formicarum, Syrupus Aurantii florum, Syrupus opiatus, Tannalbinum, Tinctura aromatica, Tinctura Gentianae, Tinctura Valerianae aetherea, Unguentum Kalii iodati, Unguentum Naphtoli compositum, Zincum sulfocarbolicum.

Opportunum consilio pharmaceutico videbatur in appendice ad textum Pharmacopoeae elenchum adiungere formularum nonnullarum praeparatorum compositorum, quae a medicis saepius praescribuntur et quae ad usum publicum in officinis praesto habere aut ex tempore dispensare pharmacopolis conceditur, ut ultra dubium ponatur et plane securum esset, haec remedia qualitatis optimae et compositionis aequabilis ubique accipienda esse. Nonnulla eorum iam in textu editionis pharmacopoeae VII. continebantur.

In exarando textu pharmacopoeae ad obtinendam aequalitatem, unitatem nec non conspectum clarum descriptionis articulorum, ordo procedendi observatur ita, ut in praeparatis chemicis primo loco eorum proprietates physiognomicae et physicae exponantur, tum reactiones chemicae, quibus identitas, qualitas et quantitas nec non incorrupta integritas praeparati diiudicatur, denique reactiones praescribantur, quibus certa quaedam substantia detegi et determinari possit, qua haud raro praeparatum venale inquinatum sive adulteratum occurit.

Quod medicamenta simplicia attinet, primo loco identitas commemoratione nominis systematici plantae aut animalis, ex quo originem habet, declaratur. Sequitur notatio physiographica indiciis externis physico-morphologicis et sensus afficientibus ipsis. Tum in simplicibus potioribus notatio microscopica indiciis anatomicis insignioribus et in simplicibus, quae pulverata pura aut praeprimis in pulvere usui medico ac pharmaceutico inserviunt, notatio histologica pulveris ipsius indiciis histologicis praecellentibus, singularibus, specificis, quibus pulvis dignoscitur ab aliis, quibus identitas, integritas et quantum potest vel qualitas cognoscitur et praesentia substantiarum alienarum admixtarum, sub-

stitutio et adulteratio demonstrari potest. Id quod maxime necessarium videtur, quum in praesente pharmacopolae pulveres simplicium maxima ex parte haud ipsi conficiunt, sed iam paratos e commercio aut ex officinis propriis emere solent et experientia docente, eiusmodi merces ad minimum saepius qualitatis minoris, non raro plus minusve inquinatae, substitutae, imo adulteratae inveniri contingit.

Haud dubitandum est, quin eiusmodi pulveres, praesertim quod attinet medicamina simplicia notabilia, studium idem in textu pharmacopoeae exposcant quale praeparata chemica.

In plurimis simplicibus officinalibus quantitas cineris modum non excedens exposcitur, quia hodie saepius quam prioribus temporibus simplicia neglegenter collecta et servata, pulverulenta aut inquinata particulis terreis, ut praesertim herbae, folia et radices in mercatura occurunt, quo pretii nullius aut saltem minoris fiunt.

In simplicibus, e quibus praeparata officinalia ope extractionis parantur (ut extracta, tincturae) quantitas minima extracti sicci exposcitur et in simplicibus quibusdam sic dictis narcoticis vel heroicis quantitas minima aut definita substantiae activae propriae. Simul indicatur methodus, qua statuatur,

examinando trutina, quantitas praescripta substantiae activae.

In simplicibus e regno vegetabili sequentibus quantitas substantiae activae definita aut minima praescripta est.

Cortex Chinae (5 proc.), Folia Theae (2 proc.), Guarana (4 proc.), Herba Sabinae (4 proc.), Opium (12 proc.), Radix Ipecacuanhae (2 proc.), Radix Ialapae (10 proc.), Semen Colae (1·5 proc.), Semen Strychni (2·5 proc.).

In praeparatis pharmaceuticis primum tenet locum formula praeparandi, in qua eius constituentia aut secundum eorum quantitatem, expressam exceptis perpaucis partibus aut quod attinet simplicia secundum eam et categoriam pharmacognosticam in ordinem dispositae sunt. Subsequitur notatio brevis praeparati confecti notis externis physicis et notis sensibus maxime subiectis, in praeparatis liquidis, ubi necessarium aut desiderabile, nominato pondere specifico et in praeparatis maioris momenti praescripta quantitate minima residui sicci, in nonnullis praeprimis narcoticis praescripta quantitate minima vel definita substantiae activae unacum expositione methodi procedendi in eius examine. Praeparata pharmaceutica sequentia

quantitatem definitam aut minimam substantiae activae exhibeant.

Aqua Calcis (1·4—1·6 pro mille), Aqua Chlori (4 pro mille), Aqua Laurocerasi (1 pro mille), Argentum nitricum cum Kalio nitrico (32—33 proc.), Bismuthum subnitricum (78—82 proc.), Chininum tannicum (30 proc.), Extractum Belladonnae (2 proc.), Extractum Chinae (7·5 proc.), Extractum Chinae fluidum (4 proc.), Extractum Colae fluidum (1 proc.), Extractum Hyoscyami (0·3 proc.), Extractum Opii (20 proc.), Extractum Pomi ferratum (5 proc.), Extractum Strychni (16 proc.), Ferrum carbonicum saccharatum (9·5—10 proc.), Ferrum citricum chiniatum (9 proc. Chinin.), Ferrum oxydatum saccharatum (2·8—3 proc.), Hydrargyrum tannicum oxydulatum (55—57 proc.), Liquor Ammoniae anisatus (1·4 proc.), Pastilli Hydrargyri bichlorati corrosivi (50 proc.), Solutio arsenicalis Fowleri (1 proc.), Syrupus Ferri iodati (5 proc.), Theobrominum Natrio-salicylicum (45 proc.), Tinctura Belladonnae (0·03 proc.), Tinctura Colchici (0·04 proc.), Tinctura Iodi (10 proc.), Tinctura Ipecacuanhae (0·2 proc.), Tinctura Opii crocata (1 proc.), Tinctura Opii simplex (1 proc.), Tinctura Pomi ferrata (0·78 proc.), Tinctura Strychni (0·25 proc.), Unguentum Hydrargyri (30 proc.).

Hicce notandum est, de conficiendis singulis praeparatis pharmaceuticis officinalibus sic dictis narcoticis vel heroicis et de eorum quantitate defi-

nita substantiae activae nec non de singulis simplicibus toxicae indolis officinalibus, exceptis perpaucis consensum fuisse de sententiis cum conferentia internationali Bruxellensi anni MCMII et quidem de praeparatis et simplicibus sequentibus:

Aqua carbolisata (Phenoli solutio), Aqua Laurocerasi, Extractum Belladonnae, Extractum Fungi Secalis (Secalis cornuti extractum), Extractum Fungi Secalis fluidum (Secalis cornuti extractum fluidum), Extractum Hyoscyami. Extractum Opii, Extractum Strychni, Folia (folium) Belladonnae, Folia (folium) Digitalis, Folia (folium) Hyoscyami, Fungus Secalis (Clavicipitis purpureae sclerotium), Pulvis Ipecacuanhae opiatus (Pulvis Opii et Ipecacuanhae compositus), Radix Ipecacuanhae, Semen Colchici, Semen Strychni, Solutio arsenicalis Fowleri (Arsenicalis liquor Fowleri), Syrupus Ferri iodati, Syrupus Ipecacuanhae, Tinctura Belladonnae, Tinctura Cantharidum, Tinctura Colchici, Tinctura Digitalis, Tinctura Ipecacuanhae, Tinctura Iodi, Tinctura Lobeliae, Tinctura Opii crocata, Tinctura Opii simplex, Tinctura Strophanthi, Tinctura Strychni, Unguentum Hydrargyri, Vinum Stibii Kalio-tartarici.

Porro medicamenta heroica nequaquam praeparentur sub forma vini medicati, tincturae ex eiusmodi medicaminibus conficiantur in relatione 1:10, extracta sic dicta fluida cum partibus centesimis 100 producti.

Eo modo tum cum medicis, quam cum pharmacopolis ubique terrarum de eorum desideriis, quae maiorem convenientiam in praeparatione remediorum pharmaceuticorum imprimis toxicae indolis exposcunt, consensum est.

Ubi admonitio notatu digna videbatur, quali cura praeparata servanda sint, ibi monitum singulare adiunctum est. Idem etiam valet pro simplicibus quod attinet ad eorum artem et tempus ea et colligendi et servandi et renovandi.

Quantum fieri potuit, praeparata diplomate commerciali inventori addicta non sunt recepta in codicem. Ubi receptio non evitanda erat, nomen edicto commerciali confirmatum nomine scientifico suppletum est.

Nomenclatura articulorum iam in editione VII. adhibita in editione VIII. maxima ex parte retenta est, solummodo denominatio nonnullorum praeparatorum chemicorum accomodata est statui praesenti scientiae et medicamina e regno vegetabili depromta intensius accomodabantur denominationibus, quibus in libris pharmacognosiam tractantibus et in diversis Pharmacopoeis de iis disseritur.

Synonyma editionis VII. nunc maxima ex parte e textu Pharmacopoeae eliminata et in indicem

specialem ad finem libri collata sunt exceptis illis, quae sistunt nomina principalia editionis VII., nunc in editione VIII. aliis denominationibus suppleta.

Apparatus reagentium tum quoad iunctiones chemicas, quae analysi inserviunt, quum quoad utensilia et instrumenta, quae ad persolvendas examinationes adhibentur, magnopere augeri opus erat, quia nonnisi his adminiculis medicamina secundum normas, in Pharmacopoea expositas perscrutari et indagari possunt.

Pharmacopoeae adnexa sunt tabulae, regulas atque praecepta exhibentes, prout medicamina in officinis ordinanda, servanda et dispensanda sive in qua dosi expedienda sint. His normis obedire pharmacopola lege obstrictus est.

Insuper in fine appendicis congestae sunt tabulae, quarum altera exhibet pondera atomica corporum principalium simplicium secundum sententiam commissionis societatatis Germanicae in arte chemica peritorum anno MCMV constitutae, altera autem docet pondera molecularia corporum compositorum in Pharmacopoeam receptarum.

Regulae et notae generales.

§ 1. Medicamina in Pharmacopoeam recepta sine ulla exceptione in omnibus pharmacopoliis ea indole praesto esse et dispensari debent, qua normis in Pharmacopoea expositis penitus respondent.

§ 2. Praeparata, quorum formula parandi in Pharmacopoea exposita est, nonnisi secundum hanc formulam parare et dispensare licet.

Praeparata exposita quidem in editionibus prioribus Pharmacopoeae, sed adhuc in officinis obvia, secundum formulam receptam in ultimam editionem, quae certum horum praeparatorum tractat, praeparanda, secundum hanc signanda neque nisi secundum regulas Pharmacopoeae respondentis dispensanda sunt.

§ 3. Medicamenta, quae nec recepta sunt in textum editionis praesentis (VIII.) Pharmacopoeae, nec in textum prioris editionis, attamen passim a medicis praescribi et hinc in pharmacopoliis praesto esse solent, nec inquinata nec corrupta, sed optimae indolis sint oportet.

Ea aequali sollicitudine et circumspectione servanda et dispensanda sunt, ut medicamina in Pharmacopoeam recepta, quorum efficaciam aequant.

Eiusmodi medicamina nec non confectiones, quae novis et novissimis temporibus usui therapeutico venales offeruntur, nisi a ministerio rerum internarum aliud statutum fuerit, semper legitimi medici praescriptione dispensare fas est.

Diversas formas medicaminum, ut praesertim tabulas, capsulas et pastillos in involucro proprio originali in pharmacopoliis absque praescriptione medici legitimi expedire non conceditur, si medicamenta continent, quorum dispensatio praescriptionem medici legitimi postulat.

Exceptiones huius regulae ministerium rerum internarum decernit.

§ 4. Medicamina in Pharmacopoeam recepta, quorum dispensatio absque praescriptione medici legitimi haud conceditur, tabula IV. exhibet.

Haec medicamina in textu Pharmacopoeae et in elencho adiuncto distinctis *obliquis typis* conspicua redduntur.

Praeterea et praeparata sic dicta organotherapeutica nec non sera medicabilia diversa ne nisi praescriptione medici legitimi dispensare licitum est.

§ 5. Medicamina, in tabula III. congesta, si a medico in maiore dosi praescribuntur, quam quae maxima in hac tabula notata est, non sunt dispensanda, nisi medicus signum exclamationis (!) in praescriptione addiderit.

§ 6. Si medicamentum, quod et crudum et depuratum seu rectificatum in pharmacopoliis prostat medicus praescripserit nulla distinctione facta, semper depuratum seu rectificatum dispensetur. Item si medicamentum, cuius distinguuntur concentrationis et fortitudinis gradus, praescriptum fuerit, quin gradus concen-

trationis conspicuus sit, semper dilutum et mitius dispensandum est.

§ 7. Medicamina, quae in scrinio secluso tenenda, et ea, quae ab aliis separanda sunt, in tabula I. et II enumerantur.

§ 8. Apparatus reagentium omni tempore totus integer usui praesto sit.

Notae et indicationes speciales.

1. Ubi in textu Pharmacopoeae loquitur de partibus, partes ponderis intelliguntur.

2. Ad examinandum praeparatum chemicum quantitas substantiae adhibendae aut concentratio solutionis praescripta est.

3. Sub nomine solutionis intelligitur, nisi aliud praescriptum est, solutio aquosa.

4. In ratione proportionis solutionis significat 1=10, 1=20 etc., ut pars 1 substantiae in partibus 9 aut in partibus 19 etc. liquidi solvatur.

5. Ad examinandas solutiones de regula tubuli probatorii diametri millimetrorum 20 et solutionis examinandae centimetra cubica 10 adhibeantur.

6. Sub „aqua" communiter intelligenda est et adhibenda ad omnes operationes (solutiones, extractiones) aqua destillata, sub „spiritus vini" intelligitur spiritus Vini concentratus.

7. Ad dinumerationem guttarum liquidi adhibeatur apparatus proprius, praescriptus conferentia internationali Bruxellensi, tubulo defluctorio instructus diametri accurate millimetrorum trium orificii externi ita, ut praebeat temperatura 15° guttas viginti respondentes grammati aquae destillatae.

8. Ad determinandam temperaturam thermometrum sic dictum Celsianum adhibeatur.

9. Sub temperatura consueta seu ordinaria tenetur illa 15°—20°. Operatio macerationis fiat temperatura, quae 20°, operatio digestionis ea, quae 50° non superat. Temperatura 15° pondera specifica in pharmacopoea notata explorentur et nisi aliud praescriptum etiam cuncta examina aeque ac praeparatio solutionum volumetricarum exsequantur.

10. Sub „balneum aquae" intelligitur aqua ebulliens; loco eius balneum vaporis 100° adhibere licet.

11. Ad determinandum punctum ebullitionis medicaminis liquidi adhibeatur cucurbita parva vitrea collo longo instructa, ut ad destillationem sic dictam interruptam in usu est, cuius pars inferior ampla liquore examinando circiter usque ad dimidium impletur; thermometrum in collo cucurbitae ita munitur, ut liquorem haud tangens, ubique vaporibus ex eo evolutis circumfusum sit. Notae in textu pharmacopoeae spectantes punctum ebullitionis referuntur ad 760 millimetra columnae barometri.

12. Ad determinandum punctum liquationis ingere substantiae subtiliter pulveratae, antea in apparatu exsiccatorio supra acidum sulfuricum minime per 24 horas siccatae in tubulum vitreum angustum, extremitate una apertum diametri maxime millimetri tantum, ut concussa stratum millimetra 2—3 altum in fundo tubuli formet. Tubulo adiunge thermometrum aptum et importa in tubulum probatorium circiter millimetra 30 in diametro, in quo acidum sulfuricum ad calefaciendum destinatum praesto est. Tum acidum sulfuricum saepius agitando sensim sensimque calefiat. Gradus temperaturae, quo

substantia impellucida limpida evadit et in guttulas limpidas confluit punctum liquationis habetur.

Determinatio puncti liquationis pinguedinum aut substantiarum similium exsequitur in tubulo vitreo pariete tenui, ubique aperto diametri maxime millimetri.

Insugendo induce in eum pinguedinis clare fusae tantum, ut in tubulo columellam circiter centimetrum altam formet. Tubulum tum sepone per 24 horas temperatura circiter 10°, ut pinguedo plane rigescat. Nunc demum thermometrum aptum adiunge tubulo et importa hunc in tubulum probatorium diametri millimetrorum 30, in quo servetur aqua adhibenda ad calefaciendum; hoc fiat aquam saepius agitando sensim sensimque. Gradus temperaturae, quo columella pinguedinis in tubulo evadit limpida et in altum petit, punctum liquationis censeas.

13. Gradus comminuendi medicaminum, praeprimis simplicium exsequitur cribris speciminum Nr. VI quoad amplitudinem macularum aut numerum macularum in centimetro, et quidem:

A. pro speciebus:

Cribrum Nr. I amplitudinis macularum millimetrorum 8,

Cribrum Nr. II amplitudinis macularum millimetrorum 3,

Cribrum Nr. III amplitudinis macularum millimetrorum 2;

B. pro pulveribus:

Cribrum Nr. IV cum maculis 10 ad centimetrum (Pulvis grossus),

Cribrum Nr. V cum maculis 26 ad centimetrum (Pulvis subtilis),

Cribrum Nr. VI cum maculis 48—50 ad centimetrum (Pulvis subtilissimus).

14. Quantitas extracti sicci medicaminum simplicium statuatur subsequente ratione:

a) Extrahendo aqua.

Grammata 10 substantiae subtiliter pulveratae infunde in cucurbita vitrea grammis 100 aquae bullientis; sepone saepius agitando per 24 horas, tum filtra.

Centimetra cubica 50 filtrati evapora ad siccum. Residuum sicca temperatura 100° et trutina examina. Numerus ponderis repertus vicies auctus, indicat partes centesimas extracti sicci.

b) Extrahendo spiritu vini concentrationis diversae.

Examinatio fiat ut supra descriptum, sed loco aquae centimetra cubica 100 spiritus Vini concentrationis pro singulo medicamine definitae adhibeantur vel eiusdem concentrationis, quae ad parandum praeparatum officinale (Extractum, Tinctura) medicamini simplici praescripta est.

15. Sterilisatio medicaminum et materiarum ad usum antisepticum, nisi aliud praescriptum est, ope aquae bullientis eiusque vaporum aut ope caloris sicci efficitur in apparatu definito, qui in pharmacopoliis praesto sit, secundum regulas bacteriologiae, respectando accurate qualitates substantiae sterilisandae.

Processus sterilisationis appetit destructionem microorganismorum imprimis naturae malignae.

Obiecta hoc processu tractata nominantur sterilefacta, sterilisata aut sterilia.

Liquores destinati ad iniectionem intravenosam aut hypodermaticam ne dispensentur nisi sterilefacti.

Medicamina adhibita ad tractanda vulnera externa aut membranas mucosas dispensentur sterilisata si medicus praescripserit.

Sterilisatio medicaminum ne efficiatur additis substantiis germicidis nisi medicus hoc sua ipsa praescriptione postulaverit.

Medicamina, quibus a natura aut a praeparatione vires germicidae insunt, sterilefacere haud necesse est. Solutiones, quae calore aucto decomponuntur, filtro microorganismos retinente sterilefieri possunt.

Obiecta sterilefacta tam diu sterilia censeas, quam a momento sterilisationis perfectae in eodem receptaculo accurate clauso servantur.

Acetanilidum.

Antifebrinum.

Lamellae crystallinae decolores, nitentes, odoris expertes, saporis modice urentis, calore 113°—114° liquescentes, 295° ebullientes. Solvuntur in partibus 250 aquae frigidae, in 22 circiter partibus aquae ebullientis, in partibus 3·5 spiritus vini, facile in aethere et chloroformio; solutiones sunt reactionis neutrius.

Acetanilidum cum solutione kalii hydrooxydati fervefactum vapores evolvit odoris aromatici; mixtura additis nonnullis guttis chloroformii iterum calefacta odorem nauseosum isonitrili emittit.

In solutione e decigrammis 2 Acetanilidi cum centimetris cubicis 2 acidi hydrochlorici parata, per minutum cocta et dein cum centimetris cubicis 4 solutionis acidi carbolici mixta solutio calcii hypochlorosi colorem sordide violaceum exhibet, qui adiecta abundante ammonia in colorem indicum constantem transit.

Solutio ferri sesquichlorati diluta, adiecta saturata solutione Acetanilidi cum aqua frigida parata colorem non mutat.

Decigramma Acetanilidi in centimetro cubico acidi sulfurici solvatur, quin color oriatur.

Decigramma Acetanilidi conquassando cum centimetro cubico acidi nitrici decolor maneat.

Decigramma Acetanilidi combustum residuum ponderabile ne relinquat.

Acetphenetidinum.

Phenacetinum.

Crystalli lamellosae decolores, nitentes, odoris et saporis expertes, reactionis neutrius, temperatura 135° liquescentes. Solvuntur in partibus circiter 1500 aquae frigidae, in partibus 70—80 aquae fervidae, in partibus 16 spiritus vini.

Acetphenetidini decigramma 1, in centimetris cubicis acidi hydrochlorici concentrati 2 per minutum coctum liquorem praebeat, qui centimetris cubicis 10 aquae dilutus et filtratus, additis guttis 3 solutionis acidi chromici (3 = 100) colorem rubrum induit.

Solutio, parata e decigrammate 1 Acetphenetidini cum centimetris cubicis 10 aquae fervidae refrigerata et filtrata addito bromo in aqua soluto ne valde turbetur.

Acetphenetidinum in acido sulfurico concentrato solutum liquorem coloris expertem praebeat.

Ignitum ex integro comburat.

Acetum.

Liquor limpidus, coloris fere expers, odoris et saporis acidi peculiaris.

Natrio hydrooxydato soluto neutralisatus additis nonnullis guttis ferri sesquichlorati soluti colorem intense rubrum accipit.

Acetum aqua hydrosulfurata ne mutetur, natrio carbonico saturatum nec saporem acrem nec odorem empyreumaticum praebeat.

Centimetra cubica 20, cum centimetro cubico dimidio solutionis baryi nitrici et centimetro cubico 1 solutionis argenti nitrici decinormalis mixta filtratum praebeant, quod nec solutione baryi nitrici, nec argenti nitrici turbetur.

Aceti centimetra cubica 2 cum centimetris cubicis 2 acidi sulfurici concentrati caute mixta et centimetro cubico 1 solutionis ferri sulfurici superaffusa zonam fuscam ne gignant.

Aceti partes 100 evaporatione perfecta ne plus quam 0·5 partis residui relinquant, quod ignitum cinerem reactionis alcalinae praebeat.

Acetum contineat in partibus 100 partes 6 acidi acetici. Hinc centimetra cubica 10 Aceti minimum centimetra cubica 10 solutionis acidimetricae normalis ad perfectam saturationem requirant.

Acetum aromaticum.

Rp:			
	Florum Lavandulae		
	Foliorum Menthae piperitae (I)		
	Foliorum Rosmarini (I)		
	Foliorum Salviae (I)	*āā partes*	20
	Florum Caryophylli (III)		
	Radicis Angelicae (III)		
	Radicis Zedoariae (III)	*āā partes*	5
	Spiritus Vini diluti	*partes*	100.

Macera in lagena clausa per 12 horas, tum adde

Acidi acetici diluti	*partes*	200
Aquae	*partes*	700.

Macera denuo per 8 dies, tum cola, exprime et filtra.

Liquor limpidus fuscus, odoris et saporis acidi et aromatici, ponderis specifici 1·00— 1·10.

Acetum pyrolignosum crudum.

Liquor fuscus, picem liquidam et acidum aceticum redolens, saporis acidi et amariusculi; dum servatur, materias qualitatis picis liquidae deponit.

Volumen 1 Aceti pyrolignosi crudi volumine 1 aquae dilutum et filtratum nec aqua hydrosulfurata, nec ammonia neutralisatum adiecto ammonio sulfurato mutetur; solutione baryi nitrici et argenti nitrici nonnisi opalescenter turbetur.

Partes 100 Aceti pyrolignosi crudi contineant minimum partes 6 acidi acetici. Hinc centimetra cubica 10 mixta cum centimetris cubicis 10 solutionis acidimetricae normalis reactionem alcalinam ne exhibeant.

Acetum Scillae.

Rp: **Bulbi Scillae** minutim concisi (I) et siccati

Spiritus Vini	*āā partes*	10
Acidi acetici diluti	*partes*	17
Aquae	*partes*	73.

Macera per 8 dies, exprime leniter et filtra.

Liquor limpidus, coloris e rubro fusci, ponderis specifici 1·02—1·05.

Centimetra cubica 10 Aceti Scillae requirant, ut neutra evadant, solutionis acidimetricae normalis centimetra cubica 8·0—8·2.

Acidum aceticum concentratum.

Liquor limpidus decolor, odoris fragrantissime et saporis fortiter acidi, causticus, volatilis, inflammabilis, frigore rigescens, in quavis relatione solubilis in aqua, spiritu vini et aethere, ponderis specifici 1·064; versus 117°—118° ebullit et ex integro evaporat.

Acidum aceticum concentratum aqua vicies dilutum, solutione natrii hydrooxydati neutralisatum adiectis nonnullis guttis ferri sesquichlorati soluti colorem intense rubrum induit.

Eadem mixtura aqua hydrosulfurata ne mutetur, solutione baryi nitrici vel argenti nitrici ne turbetur.

Centimetra cubica 5 Acidi acetici concentrati cum centimetris cubicis 15 aquae et centimetro cubico 1 solutionis kalii hypermanganici (1 = 1000) mixta, colorem induant violaceum, qui intra sextantem horae nequaquam evanescat.

Centimetrum cubicum 1 Acidi acetici concentrati mixtum cum centimetris cubicis 3 solutionis stanni chlorati intra horam colorem nigricantem ne accipiat.

Contineat in partibus 100 minimum partes 96 acidi acetici. Quodsi ex centimetris cubicis 10 eius aqua diluendo efficiuntur centimetra cubica 500, centimetra cubica 10 huius diluti liquoris neutra reddenda minimum centimetra cubica 3·4 solutionis acidimetricae normalis consumant.

Acidum aceticum dilutum.

Liquor limpidus decolor, volatilis, odoris et saporis acidi, ponderis specifici 1·041.

Apte dilutum eandem praebeat rationem ad reagentia, qualem acidum aceticum concentratum.

In partibus 100 contineat partes 30 acidi acetici. Si ergo e centimetris cubicis 10 eius cum aqua commiscendo centimetra cubica 100 effeceris, centimetra cubica 10 huius diluti liquoris minimum requirant centimetra cubica 5·2 solutionis acidimetricae normalis, ut reactio acida in neutram vertatur.

Acidum arsenicosum.

Frusta extus plurimum alba porcellanea, intus vitrea vel pulvis albus.

Acidum arsenicosum in tubo probatorio caute calefactum sublimatum album gignit, crystallos nitidas octaëdricas vel tetraëdricas sistens. Prunis iniectum avolat odorem alliaceum spargens. Calefactum residuum ne relinquat.

In partibus 10 ammoniae plane solvatur; haec solutio additis partibus 10 aquae acido hydrochlorico supersaturata colorem flavum ne accipiat, imo aqua hydrosulfurata addita statim sedimentum citrinum efficiat, quod in ammonia vel ammonio carbonico plane solvatur.

Centimetra cubica 10 solutionis, paratae e decigrammis 5 Acidi arsenicosi et grammis 3 natrii hydro-

carbonici in centimetris cubicis 20 aquae ebullientis, post refrigerationem ad centimetra cubica 100 diluta centimetra cubica 10 solutionis iodi decinormalis decolorent.

Acidum benzoïcum.

Crystalli, e resina Benzoë sublimatione paratae aciculares vel foliaceae, subflavae vel fusco-flavescentes, nitoris sericei, saporis aciduli, odoris Benzoës nec non empyreumatici.

Acidum benzoïcum in tubo probatorio fervefactum primum liquescit in liquorem subflavum vel subfuscum, dein sublimat plane vel residuo fusco exiguo relicto.

In solutione, superfundendo decigrammata 2 Acidi benzoici centimetris cubicis 20 aquae et centimetro cubico 1 solutionis kalii hydrooxydati normalis et saepe conquassando parata, elapso quadrante horae filtrata gutta ferri sesquichlorati soluti sedimentum subflavum efficit.

Acidum benzoïcum cum vaporibus aquae plane avolat. In lamina platinea fervefactum liquescit, vapores fauces pungentes tussimque excitantes evolvens, tandem flamma lucida nullo omnino residuo absumitur.

In aqua frigida difficile, in fervida nec non in spiritu vini, in aethere et in chloroformio nec non in aethere petrolei facile solvitur. Solutio aquosa calida refrigerando turbatur lactis fere speciem praebens.

Crystalli Acidi benzoïci in tubo probatorio cum kalio hydrooxydato soluto calefactae ne ammoniam evolvant.

Mixtio ex aequalibus partibus Acidi benzoici et kalii hypermanganici cum partibus 10 aquae in tubo probatorio laxe clauso per aliquot temporis leniter fervefacta, dein refrigerata tubulo aperto odorem olei amygdalarum amararum aetherei ne excitet.

Decigramma 1 Acidi benzoïci cum centimetro cubico 1 ammoniae mixturam flavam vel subfuscam turbidam exhibeat, quae et centimetra cubica 5 solutionis kalii hypermanganici (1 = 1000) elapsis 4 horis fere plane decoloret et additis centimetris cubicis 2 acidi sulfurici diluti Acidum benzoïcum iterum deponat.

Decigrammata 2 Acidi benzoïci cum decigrammis 3 calcii carbonici mixta, addita pauca aqua exsiccata et candefacta residuum relinquant, quod in acido nitrico solutum, additis centimetris cubicis 10 aquae, adiecta solutione argenti nitrici elapsis 5 minutis ne plus quam opalescenter turbetur.

Acidum boricum.

Crystalli squamosae, coloris expertes, nitoris languidi, tactu pingues, quae fervefaciendo valde tumescunt et in massam post refrigerationem vitream liquescunt, in partibus 25 aquae frigidae lente, citius in partibus 3 aquae fervidae et in partibus 15 spiritus vini nec non in glycerino solvuntur.

Solutio aquosa Acidi borici (1 = 50) addito acido hydrochlorico chartae curcumae siccanti colorem e fusco rubrum tribuit. Hic color ammonia in colorem viridenigrum transit. Solutio spirituosa incensa flammam viridi colore tingit.

Solutio aquosa Acidi borici (1 = 50) nec aqua hydrosulfurata, nec baryo nitrico, nec argento nitrico, nec ammonio oxalico, nec ammonia neutra facta ammonio sulfurato mutetur.

Acidum boricum, in acido sulfurico concentrato calefaciendo solutum, post refrigerationem crystallo ferri sulfurici iniecto zonam fuscam ne impertiat.

Acidum carbolicum.

Crystalli tenues, longae, acuminatae, coloris expertes vel massa crystallina alba, tempore flavescens seu rubescens, odoris peculiaris, caustica.

Temperatura 40°—42° diffluunt in liquorem lucem valde refringentem, versus 178°—180° ebulliunt, incensae deflagrant flamma alba residuo nullo relicto, ex aëre humiditatem attrahunt et diffluunt.

Acidum carbolicum solvitur in 15 fere partibus aquae, in omni proportione aetheris, spiritus vini, glycerini nec non in solutionibus kalii sive natrii hydrooxydati.

In solutione parata e partibus 20 Acidi carbolici et partibus 10 spiritus vini pars 1 ferri sesquichlorati soluti colorem sordide viridem producit, qui diluendo aqua usque ad 1000 partes in colorem pulchre violaceum, sat continuum transit.

Bromum aqua solutum in solutione Acidi carbolici aquosa 1 = 50000 continuo efficit sedimentum album flocculosum.

Acidum carbolicum liquefactum.

Rp:	Acidi carbolici	*partes*	100
	Aquae	*partes*	10.

Calefaciendo misce.

Liquor oleosus limpidus, acidum carbolicum redolens, qui ad reagentia se habeat ut acidum carbolicum; pondus specificum 1·068—1·069.

Centimetra cubica 10 Acidi carbolici liquefacti sub 15° additis centimetris cubicis 2·3 aquae ne turbentur, sed tum additis 8—10 guttis aquae. Haec mixtio turbida additis ne minus quam 135 neque plus quam 140 centimetris cubicis aquae solutionem limpidam exhibeat.

Acidum citricum.

Crystalli prismaticae decolores, in aëre immutabiles, leni temperatura fatiscunt, altiore liquescunt et decomponuntur. Solvuntur facillime in aqua et in spiritu vini, difficilius in aethere.

Mixtio e centimetro cubico 1 solutionis aquosae (1 = 10) et centimetris cubicis 40 — 50 aquae calcis limpida permanet. Haec mixtio per minutum cocta turbatur et sedimentum album deponit, quod in vase bene tecto refrigeratione inter horas 3 plane solvitur.

Mixtio e grammate Acidi citrici et centimetris cubicis 10 acidi sulfurici concentrati in tubo probatorio

per horam in balneo aquae calefacta colorem ad summum flavum, ne vero fuscum induat.

Solutio aquosa Acidi citrici (1 = 10) solutionibus nec baryi nitrici, nec ammonii oxalici, nec aqua hydrosulfurata vel superaddita ammonia mutetur.

Decigrammata 5 Acidi citrici combusta residuum ponderabile ne relinquant.

Acidum hydrochloricum concentratum.

Liquor limpidus decolor, odoris acidi pungentis, calefactus plane avolans, ponderis specifici 1·124.

Addita solutione argenti nitrici sedimentum album caseosum gignitur, quod in ammonia solubile, in acido nitrico diluto insolubile est; cum mangano hyperoxydato calefactus chlorum emittit.

Mixtio e centimetro cubico Acidi hydrochlorici concentrati et centimetris cubicis 3 solutionis stanni chlorati inter horam colorem obscuriorem ne accipiat.

Acidum quintuplo volumine aquae dilutum et ammonia fere neutralisatum solutioni zinci iodati cum amylo colorem caeruleum ne continuo tribuat, neque turbetur aqua hydrosulfurata, nec inter 5 minuta solutione baryi nitrici, nec addita quidem solutione iodi, donec color subflavus oriatur.

Centimetra cubica 10 Acidi hydrochlorici concentrati aqua diluta (1 = 10), neutralisatione cum ammonia peracta addito ammonio sulfurato ne mutentur.

Partes 100 Acidi hydrochlorici concentrati partes 25 gasis hydrochlorici contineant.

Quodsi e centimetris cubicis 5 eius aqua diluendo efficiuntur centimetra cubica 100, in centimetris cubicis 10 huius diluti liquoris neutris reddendis minimum consumantur centimetra cubica 38·5 solutionis acidimetricae decinormalis.

Acidum hydrochloricum dilutum.

Rp: **Acidi hydrochlorici concentrati**
Aquae $\overline{aa}$ *partes* 100.
Misce. Sit ponderis specifici 1·061.

Apte dilutum ad reagentia eandem plane rationem habeat, qualem acidum hydrochloricum concentratum.

Contineat in partibus 100 partes 12·5 gasis hydrochlorici, quapropter centimetra cubica 10 aqua ad centimetra cubica 100 diluta liquorem praebeant, cuius centimetra cubica 10 centimetris cubicis 36·4 solutionis acidimetricae decinormalis neutra reddantur.

Acidum lacticum.

Liquor limpidus spissus, decolor vel subflavus, odoris expers, saporis mere acidi, ponderis specifici 1·21—1·22. In aqua, spiritu vini et aethere in omni proportione solubilis. Cum kalio hypermanganico calefactus odorem aldehydi exhalat.

In lamina platinea fervefactus deflagrat, flammam edens lucidam residuo nullo relicto.

Centimetrum cubicum Acidi lactici in centimetris cubicis 20 aquae solutum addita gutta ferri sesquichlorati soluti colorem flavum accipit.

Acidum lacticum leniter calefactum acida pinguia ne redoleat, neque volumine aequali acidi sulfurici concentrati superfusum inter minuta 15 ullum colorem recipiat.

Cum partibus aquae 10 dilutum nec aqua hydrosulfurata, nec solutionibus baryi nitrici, argenti nitrici aut ammonii oxalici turbetur, nec aqua calcis abundante vel calefactum mutetur.

Centimetra cubica 2 aetheris instillando centimetro cubico Acidi lactici ne turbentur.

Decigrammata 5 Acidi lactici combusta residuum ponderabile ne relinquant.

Acidum nitricum concentratum.

Liquor limpidus decolor, plane volatilis, ponderis specifici 1·30, cuprum metallicum vaporibus e fusco rutilis emissis solvit.

Solutio aquosa Acidi nitrici concentrati (1 = 10) nec aqua hydrosulfurata, nec ammonia neutralisata addito ammonio sulfurato, nec solutione argenti nitrici mutetur neque solutione baryi nitrici inter 5 minuta nisi opalescenter turbetur.

Acidum cum quintuplo volumine aquae dilutum et cum guttis nonnullis chloroformii conquassatum huic ne adiecto quidem granulo zinci colorem violaceum tribuat.

Centimetra cubica 5 Acidi diluti (1 = 10) cum guttis 5 solutionis kalii hypermanganici (1 = 1000) mixta colore e violaceo rubro persistente tingantur.

Contineat in partibus 100 partes 47·45 acidi, quapropter centimetra cubica 10 eius aqua ad centimetra cubica 1000 diluta liquorem praebeant, cuius centimetra cubica 10 centimetris cubicis 9·8 solutionis acidimetricae decinormalis neutra reddantur.

Servetur in vasis optime clausis a luce remotis.

Acidum nitricum fumans.

Acidum nitrico-nitrosum.

Liquor limpidus, e rubro fuscus, plane volatilis, vapores emittens suffocantes e flavo rubros, ponderis specifici 1·486—1·50.

Partes 100 contineant minimum partes 86 acidi puri.

Quinquagies aqua dilutus solutionibus baryi et argenti nitrici nisi elapsis 5 minutis ne turbetur.

In loco frigido et obscuro servetur.

Acidum phosphoricum.

Liquor limpidus decolor, odoris expers, ponderis specifici 1·12.

Solutione argenti nitrici adiecta liquor limpidus et decolor maneat, quodsi vero caute ammonia admiscetur, sedimentum flavum oritur, quod superabundante acido nitrico aeque ac superaddita ammonia solvitur.

Mixtio e centimetro cubico Acidi phosphorici et centimetris cubicis 3 solutionis stanni chlorati inter horam colorem obscuriorem ne accipiat.

Acidum phosphoricum cum solutione argenti nitrici et abundante ammonia mixtum atque ad ebullitionem calefactum nec colorem nigricantem induat nec eiusmodi sedimentum deponat.

Gase hydrosulfurato saturatum ne tum quidem colorem flavum sive nigro-fuscum induat aut turbetur, si per longius tempus vase tecto leni calore repositum fuerit. Duplo volumine aquae addito nec solutione baryi nitrici, nec adiecta superabundante ammonia ammonio oxalico turbetur.

Cum sextuplo volumine spiritus vini mixtum limpidum maneat.

In patina platinea evaporatum et vehementer calefactum ne nisi vestigia residui relinquat.

Mixtio e centimetris cubicis 2 Acidi phosphorici et centimetris cubicis 2 acidi sulfurici concentrati superaffusa solutione ferri sulfurici zonam intermediam fuscam ne gignat.

Contineat in partibus 100 partes 20 acidi orthophosphorici, quapropter centimetra cubica 5 eius aqua ad centimetra cubica 100 diluta liquorem praebeant, cuius centimetra cubica 10 centimetra cubica 22·3 solutionis acidimetricae decinormalis consumant, donec solutione indicatoria phenolophthaleinica adhibita color purpureo-roseus oriatur.

Acidum pyrogallicum.

Pyrogallolum.

Lamellae vel acus albae nitidae, levissimae, saporis asperi postea amari; temperatura 130° liquescunt, fervefactae sublimant sine residuo.

Solvuntur in partibus 1·7 aquae ad liquorem limpidum decolorem fere neutrum, qui aëri expositus sensim colorem fuscum et reactionem acidam accipit. In spiritus vini parte 1, in aetheris 1·2 solubiles.

Aqua calcis cum Acido pyrogallico conquassata primo colorem violaceum induit, sed mox, dum liquor flocculose turbatur colorem e fusco nigrum.

Solutio aquosa Acidi pyrogallici recenter parata solutione ferri sulfurici recenter parata colorem caeruleum, ferro sesquichlorato soluto colorem e fusco rubrum ducit.

In solutione argenti nitrici Acido pyrogallico argentum metallicum disiungitur.

Servetur in vase clauso luci impervio.

Acidum salicylicum.

Crystalli aciculares albae, sive pulvis crystallinus albus subtilis, odoris expers, saporis subdulcis; calore 157° liquescens, tum caute fervefactus residuo nullo relicto avolans.

Acidum salicylicum in aqua frigida difficillime, in fervida nec non in glycerino tepido et chloroformio facilius, in spiritu vini et aethere facillime solvitur.

In aqua solutum, solutione ferri sesquichlorati addita colorem induit e violaceo rubrum. Cum calcio oxydato calefactum vapores emittit acidi carbolici.

Pars 1 Acidi salicylici cum partibus 6 acidi sulfurici concentrati mixta absumatur, quin color oriatur.

Decigrammata 5 Acidi salicylici temperatura vulgari in centimetris cubicis 10 solutionis natrii carbonici (1 = 10) plane solvantur. Aether cum hac solutione conquassatus evaporando ne nisi exiguum residuum relinquat, quod acidum carbolicum ne redoleat.

Solutio Acidi salicylici in spiritu vini (1 = 10) addito pauco acido nitrico solutione argenti nitrici ne mutetur et sua sponte ad siccum evaporata residuum plane album relinquat.

Decigrammata 5 Acidi salicylici comburant residuo ponderabili non relicto.

Acidum sulfuricum concentratum.

Liquor oleo similis decolor, odoris expers, calore volatilis, ponderis specifici 1·84. Aqua dilutus solutione baryi nitrici admixta sedimentum album, in aqua et in acidis insolubile demittit.

Quodsi centimetrum cubicum mixtionis e volumine 1 Acidi sulfurici concentrati et voluminibus 2 aquae post refrigerationem centimetris cubicis 3 solutionis stanni chlorati addideris, mixtura inter horam colorem obscuriorem ne accipiat.

Acidum cum quintuplo volumine spiritus vini caute dilutum vel post longius temporis intervallum ne turbetur.

Centimetra cubica 2 Acidi sulfurici concentrati superinfusa centimetro cubico solutionis ferri sulfurici eo strato, quo liquores se tangunt, zonam fuscam ne exhibeant.

Centimetra cubica 10 Acidi voluminibus 5 aquae diluta et cum 3 sive 4 guttis solutionis kalii hypermanganici (1 = 1000) mixta temperatura vulgari ne statim decolorentur.

Solutio aquosa Acidi sulfurici concentrati (1 = 20) solutione argenti nitrici ne turbetur.

Eadem solutio ammonia fere neutralisata nec aqua hydrosulfurata nec ammonio sulfurato mutetur.

Acidum sulfuricum concentratum contineat in partibus 100 minimum partes 96 acidi sulfurici. Quapropter centimetra cubica eius 5, aqua ad centimetra cubica 500 diluta liquorem praebeant, cuius centimetra cubica 10, ut neutra evadant, minimum centimetra cubica 3·6 solutionis acidimetricae normalis consumant.

Acidum sulfuricum dilutum.

Rp: **Acidi sulfurici concentrati** *partes* 100
Aquae *partes* 476.

Misce, acidum in aquam instillando.

Sit ponderis specifici 1·12.

Apte dilutum eandem rationem ad reagentia habeat, qualem acidum sulfuricum concentratum.

Contineat in partibus 100 partes 16·66 acidi sulfurici, hinc centimetra cubica 10, aqua ad centimetra cubica 100 diluta liquorem praebeant, cuius centimetra cubica 10 minimum centimetra cubica 3·8 solutionis acidimetricae normalis consumant, ut neutra reddantur.

Acidum tannicum.

Pulvis subflavus, saporis austeri adstringentis, in partibus 5 aquae, in partibus 2 spiritus vini solubilis ad

liquorem limpidum reactionis acidi et odoris debilis peculiaris, nequaquam aetherei. Facile solubilis in glycerino, fere insolubilis in aethere.

Solutio ferri sesquichlorati in solutione diluta colorem caeruleum, in concentrata sedimentum e caeruleo nigricans producit, quod addito acido sulfurico evanescit.

Solutio aquosa Acidi tannici (1 = 5) addito acido sulfurico vel addita solutione natrii chlorati Acidum tannicum deponit.

Centimetra cubica 2 solutionis Acidi tannici aquosae (1 = 6) admixtis centimetris cubicis 2 spiritus vini limpida remaneant; haec mixtio vel addito centimetro cubico aetheris ne turbetur.

Partes 100 Acidi tannici exsiccando temperatura 100° ne plus quam partes 12 perdant.

Decigrammata 5 Acidi tannici combusta residuum ponderabile ne relinquant.

Acidum tartaricum.

Crystalli prismaticae vel tabulaeformes decolores, diaphanae, frequenter in crustas concretae, aëre persistentes, in lamina platinea fervefactae odorem sacchari tosti spargentes et carbonescentes, facillime in aqua, facile in spiritu vini, difficile in aethere solubiles.

Solutio aquosa (1 = 3) cum solutione kalii acetici sedimentum crystallinum, cum aqua calcis abundante sedimentum primo flocculosum, mox crystallinum deponit, quod in solutione ammonii chlorati et natrii hydrooxydati solubile est; solutio natrio hydrooxydato effecta

coquendo sedimentum gelatinosum demittit, quod refrigerando iterum solvitur.

Solutio aquosa (1 = 10) solutionibus nec calcii sulfurici, nec baryi nitrici, nec ammonia saturata ammonio oxalico turbetur.

Aqua hydrosulfurata in solutione concentrata (1 = 2) nec colorem, nec sedimentum fusco-nigrum vel superaddita ammonia producat.

Decigrammata 5 Acidi tartarici combusta residuum ponderabile ne relinquant.

Adeps Lanae.

Lanolinum anhydricum.

Massa unguinosa albide flavescens, odoris lenissimi, temperatura 40° liquescens, solubilis in aethere et chloroformio non in aqua, quae cum maiore quam duplici pondere aquae mixta consistentiam unguinosam conservat.

Solutio Adipis Lanae, ope chloroformii (1 = 50) effecta acido sulfurico concentrato superfusa zonam intermediam laete fusco-rubram praebet.

Grammata 2 Adipis Lanae, in centimetris cubicis 10 aetheris soluta, additis guttis 2 solutionis phenolphthaleini decoloria permaneant, superaddita decima parte centimetri cubici solutionis acidimetricae decinormalis colorem rubrum induant.

Adipis Lanae grammata 10 cum grammis 50 aquae in balneo aquae assidue agitando liquefacta, dein refrigerata stratum pinguinosum leniter albido-flavum aqua privum supra liquorem aquosum limpidum seiun-

gant, qui reactionis neutrius nec evaporatus glycerinum relinquat, neque cum aqua calcis calefactus vapores ammoniacales emittat.

Centimetra cubica 10 huius liquoris aquosi filtrati guttis 2 solutionis kalii hypermanganici (1 = 1000) colorem roseum permanentem accipiant.

Gramma Adipis Lanae combustum ne nisi vestigia cineris relinquat. Residuo humectato color ruber chartae exploratoriae in caeruleum ne mutetur.

Adeps Lanae hydrosus.

Lanolinum.

Rp:	**Adipis Lanae**	*partes*	75
	Aquae	*partes*	25.

Misce.

Massa unguinosa albide flavescens, odoris paene expers; calefacta in balneo aquae liquescit et in stratum oleosum superius atque in aquosum inferius seiungitur.

Adeps Lanae hydrosus evaporata aqua calefaciendo in balneo aquae remanens reactiones adipis lanae praebeat.

Partes 100 Adipis Lanae hydrosi temperatura 100° siccatae ne plus quam partes 26 ponderis perdant.

Aether.

Liquor limpidus decolor, admodum volatilis, odoris peculiaris, ponderis specifici 0·720, calore 35° ebulliens, in omni proportione cum spiritu vini nec non cum oleis pinguibus miscendus.

Centimetra cubica 5 Aetheris in patina vitrea evaporata rorem relinquunt, qui chartam caeruleam ne rubefaciat.

Volumen 1 aquae cum aequali volumine Aetheris vehementer conquassatum ne plus quam decima parte augeatur.

Charta bibula Aethere imbuta evaporato Aethere ne praebeat odorem olei vini vel fermentolei.

Frusta magnitudine pisi kalii hydrooxydati recenter tusi in lagena continuo Aethere superfusa, mixtura in lagena statim optime clausa, a luce remota seposita inter dimidium horae colorem subflavum ne induant.

Centimetra cubica 10 Aetheris cum centimetro cubico 1 solutionis kalii iodati in lagenula plane completa epistomio vitreo clausa, a luce remota saepe conquassata inter dimidium horae colorem ne accipiant.

Servetur in vasis optime clausis a luce remotis in loco frigido.

Aether pro narcosi.

Liquor limpidus decolor, admodum volatilis, odoris peculiaris, ponderis specifici 0·720, calore 35° ebulliens; in omni proportione cum spiritu vini nec non cum oleis pinguibus miscendus.

Centimetra cubica 20 Aetheris pro narcosi in patina vitrea evaporata rorem relinquunt, qui chartam caeruleam ne rubefaciat.

Charta bibula Aethere pro narcosi imbuta evaporato aethere ne praebeat odorem.

Volumen 1 aquae cum aequali volumine Aetheris pro narcosi vehementer conquassatum ne plus quam decima parte augeatur.

Frusta magnitudine pisi kalii hydrooxydati recenter tusi in lagena continuo Aethere pro narcosi superfusa, mixtura in lagena optime clausa a luce remota seposita inter horas 6 colorem subflavum ne induant.

Centimetra cubica 10 Aetheris pro narcosi cum centimetro cubico 1 solutionis kalii iodati in lagenula plane completa epistomio vitreo clausa a luce remota saepe conquassata inter horas 3 colorem subflavum ne accipiant.

Servetur in lagenis voluminis centimetrorum cubicorum 150 plane completis et optime clausis, a luce remotis in loco frigido.

Renovetur intra annum.

Aether aceticus.

Liquor limpidus decolor, odoris peculiaris recreantis, plane volatilis, ponderis specifici 0·900—0·904, calore 74°—76° ebulliens, cum spiritu vini aeque ac aethere in quavis proportione miscendus.

Charta exploratoria caerulea Aethere acetico ne statim rubefiat.

Charta bibula Aethere acetico imbuta sub finem evaporationis species aetheris alienas ne redoleat.

Volumen aquae cum aequali volumine Aetheris acetici mixtum conquassando ne plus quam decima parte augeatur.

Volumen acidi sulfurici aequali volumine Aetheris acetici superinfusum zonam coloratam ne producat.

Servetur in vasis optime clausis in loco frigido.

Aether Petrolei.

Pars facile volatilis Petrolei.

Liquor decolor, non fluorescens, admodum volubilis et inflammabilis, odoris fortis peculiaris aetherei, solubilis in quavis relatione in aethere, carboneo sulfurato, in chloroformio et in oleis pinguibus, adhuc facile in spiritu vini sed non in aqua, ponderis specifici 0·640—0·670. Temperatura 0° remanet liquidus.

In vasis optime clausis luci imperviis in loco frigido servetur.

Aethylum chloratum.

Aether chloratus.

Liquor coloris expers, facile volatilis, odoris peculiaris grati et dulciusculi, saporis urentis, ponderis specifici 0·921 (temperatura 0°), calore 12·5° ebulliens; paulum in aqua, facile in spiritu vini solubilis.

Aethylum chloratum iam temperatura ordinaria celeriter avolet residuo nullo relicto.

Solutio aquosa Aethyli chlorati recenter parata chartam exploratoriam caeruleam ne rubefaciat neve, cum acido nitrico acidulata adiecta solutione argenti nitrici statim turbetur.

In tubis vitreis perfectissime clausis servetur.

Alcohol absolutus.

Liquor limpidus decolor, volatilis, facile inflammabilis, flamma parum lucente deflagrans, odoris peculiaris,

saporis ardentis, reactionis neutrius, ponderis specifici 0·796—0·800; ebullit calore 78·5°.

Alcohol absolutus liber sit ab odore alieno et aqua mixtus ne turbetur.

Centimetra cubica 10 Alcoholis absoluti additis guttis 5 solutionis argenti nitrici vel fervefacta nec turbentur nec colorentur.

Mixtura e centimetris cubicis 10 Alcoholis absoluti et centimetri cubici 0·2 kalii hydrooxydati soluti parata, usque ad centimetrum cubicum 1 evaporata cum acido sulfurico diluto supersaturata fermentoleum ne redoleat.

Centimetra cubica 5 acidi sulfurici in tubo probatorio centimetris cubicis 5 Alcoholis absoluti caute superinfusa vel post longius tempus zonam intermediam roseam ne exhibeant.

Color ruber mixturae e centimetris cubicis 10 Alcoholis absoluti et e centimetro cubico 1 solutionis kalii hypermanganici (1 = 1000) intra 20 minuta ne in flavum transeat.

Alcohol absolutus nec aqua hydrosulfurata nec ammonia coloretur.

Centimetra cubica 5 Alcoholis absoluti in balneo aquae evaporata residuum ponderabile ne relinquant.

Partes 100 contineant partes ponderis 99·0—99·6 vel partes voluminis 99·4—99·7 alcoholis.

Alga Carragen.

Chondrus crispus Lyngbye et *Gigartina mammillosa* Agardh, algae ad maris Atlantici litora frequentes.

Plantae siccatae thallo plano aut canaliculato dichotomo, laciniis diversiformibus nunc latioribus nunc angustioribus: linearibus vel cuneiformibus, ciliatis aut crispatis, cystocarpiis hemisphaericis adnatis aut magis prominentibus clavatis, cartilagineo, rigido, aqua humectato gelatinoso-carnoso lubrico, coloris flavescentis interdum e flavo rubescentis, saporis mucilaginosi.

Pars 1 mercis cum partibus 30 aquae cocta liquorem mucilaginosum, solutione iodi haud caerulescentem praebet, qui refrigeratus in gelatinam coit.

Partes 100 mercis ne plus quam partes 18 cineris relinquant.

Aloë.

Aloë lucida Capensis.

Species Capenses generis *Aloë*.

Substantia extractiformis e foliis praeparata occurrit in massis extus e subviridi obscure fuscis aut nigricantibus saepe pulvere viridescente adspersis, fragilibus et friabilibus, in fractura granuloso-conchatis, vitri instar nitentibus, in frustulis tenuibus pellucidis, amorphis colore flavido- aut subrubro-fusco, pulverem flavum praebentibus, odoris peculiaris subnauseosi, saporis peramari.

Aloë in aqua frigida ex parte solvitur. Partes 5 Aloës cum partibus 60 aquae coquendo solutionem turbidam praebent, quae refrigerata substantia resinosa secedente limpida evadit.

Pars 1 Aloës cum partibus 10 spiritus vini ebullientis filtrando solutionem perfecte limpidam coloris e flavo fusci exhibet, quae et refrigerata non turbatur et addito

ferro sesquichlorato soluto colorem intense olivaceum accipit.

Aetherem ebullientem Aloë solummodo levissime flavescentem, chloroformium nullo modo colorat.

Decigramma 1 Aloës cum centimetris cubicis 10 aquae ad perfectam solutionem coctum liquorem subturbidum praebet, qui additis centimetris cubicis 3 solutionis natrii borici concentrati limpidus evadat et colore viridi fluorescat.

Frustulum Aloës acido nitrico superfusum zonam periphericam viridescentem, haud rubram exhibeat.

Aloë combusta e 100 partibus ne plus quam partem 1 cineris relinquat.

Alumen.

Crystalli octaëdricae decolores, in aëre parum fatiscentes, saporis styptici subdulcis. Solvuntur in 10·5 partibus aquae; solutio est reactionis acidulae.

In limbo flammae parum fulgentis calefactae hunc colore violaceo inficiunt.

Kalium hydrooxydatum solutum in solutione Aluminis sedimentum album gelatinosum efficit, quod kalio hydrooxydato soluto excedente solvitur.

Alumen calefactum aquam emittit et massam albam spongiosam relinquit, ignitum vapores acidi sulfurici edit.

Solutio Aluminis cum kalio hydrooxydato soluto vel fervefacta ammoniam ne redoleat nec acido hydrochlorico acidulata aqua hydrosulfurata turbetur.

Aluminium aceticum solutum.

Liquor Burowii.

Rp:	**Acidi acetici concentrati**	*partes*	50
	Aquae	*partes*	490.

Misce et sensim sub continua agitatione ingere

Calcii carbonici	*partes*	58.

Acido carbonico effuso adde

Aluminii sulfurici	*partes*	134

solutas in

Aquae	*partibus*	268.

Miscella seponatur in loco frigido, saepius conquassanda, per 24 horas, tum coletur, exprimatur et filtretur.

Liquor limpidus coloris expers, leniter redolens acidum aceticum, saporis subdulcis et adstringentis, reactionis acidae, ponderis specifici 1·044—1·048.

100 eius partes continent partes 7·5—8 aluminii subacetici.

Mixtio e 10 grammis Aluminii acetici soluti et decigrammis 2 kalii sulfurici coagulatur in balneo aquae fervefacta, sed refrigerata brevi tempore in liquorem limpidum revertitur.

Aluminium aceticum solutum cum aequali volumine spiritus vini diluti mixtum ad summum opalescat; acido hydrochlorico acidulatum aqua hydrosulfurata ne mutetur.

Miscella e centimetro cubico 1 Aluminii acetici soluti et centimetris cubicis 3 solutionis stanni chlorati elapsa hora colorem obscuriorem ne accipiat.

Aluminium sulfuricum.

Frusta crystallina alba, in aqua frigida facile, facilius in fervida solubilia.

Solutio aquosa, reactionis acidulae, saporis acidi constringentis solutione baryi nitrici sedimentum praebet album in acidis insolubile, kalio hydrooxydato soluto praecipitatum album gelatinosum, quod excedente kalio hydrooxydato limpide solvitur.

Solutio aquosa Aluminii sulfurici (1 = 20) sit decolor; acido hydrochlorico acidulata aqua hydrosulfurata ne mutetur, nec addito volumine aequali solutionis natrii thiosulfurici decinormalis plus quam opalescenter turbetur; addito ammonio sulfurato praecipitatum album praebeat.

Mixtura e grammate 1 Aluminii sulfurici contriti et calore 100° siccati et e centimetris cubicis 3 solutionis stanni chlorati parata inter horam colorem obscuriorem ne adsumat.

Ammonia.

Liquor limpidus decolor, volatilis, odoris peculiaris penetrantis pungentis, saporis caustici, reactionis peralcalinae, ponderis specifici 0·96.

Acido hydrochlorico admoto nebulas albas densas format.

Ammonia acido acetico supersaturata nec aqua hydrosulfurata, nec ammonio oxalico et si acidum nitricum adieceris solutione nec baryi nitrici, nec argenti nitrici turbetur.

Àcido nitrico abunde saturata et evaporando ad siccum redacta residuum relinquat coloris expers, quod fortius calefactum plane avolet.

Cum voluminibus 4 aquae calcis mixta per horam in vase clauso seposita ne nisi minime turbetur.

Contineat in partibus 100 partes 10 gasis ammoniae, quapropter centimetra cubica 5 aqua ad centimetra cubica 100 diluta liquorem praebeant, cuius centimetra cubica 10 centimetra cubica 28·2 solutionis alcalimetricae decinormalis consumant, ut neutra evadant.

Ammonium aceticum solutum.

Rp:	**Ammoniae**	*partes*	50
	Acidi acetici diluti	*partes*	58.

Misce calefaciendo ad ebullitionem. Liquorem refrigeratum addita ammonia neutrum redige, filtra et dilue aqua ad pondus specificum 1·03.

Liquor decolor, reactionis neutrius aut quam plurimum subacidulae, evaporatus relinquens remanentiam albam; magis fervefactus plane avolet. Contineat in 100 partibus partes 15 ammonii acetici.

Addito ferro sesquichlorato soluto Ammonium aceticum solutum colorem rubrum trahit et cum natrio hydrooxydato soluto calefactum ammoniam exhalat.

Ne aqua hydrosulfurata neque solutione baryi nitrici mutetur; acido nitrico addito argento nitrico quam plurimum opalescenter turbetur.

Ammonium bromatum.

Pulvis crystallinus albus, facile in aqua, difficulter in spiritu vini solubilis, fervefactus plane volatilis. Solutio

aquosa, reactionis neutrius vel parum acidulae, additis aliquot guttis aquae chlori et chloroformii huic conquassando colorem e flavo rubrum tribuit; cum kalio hydrooxydato mixta ammoniam redolet.

Sal nonnullis guttis acidi sulfurici diluti humectatus colorem flavum ne statim trahat. Solutio aquosa (1 = 20) nec aqua hydrosulfurata, nec adiecta ammonia ammonio sulfurato, neve solutione baryi nitrici mutetur. Centimetra cubica 5 solutionis aquosae (1 = 10), cum gutta ferri sesquichlorati soluti mixta et addito chloroformio conquassata huic colorem violaceum ne tribuant.

Salis temperatura 100° siccati decigrammata 2, in centimetris cubicis 10 aquae soluta additis aliquot guttis solutionis kalii chromici nec infra 20 nec ultra 21 centimetra cubica solutionis argenti nitrici decinormalis requirant, donec praecipitatum inde ortum colorem constanter rubrum conservat.

Ammonium carbonicum.

Massae crystallinae durae, diaphanae, coloris expertes, odoris pungentis ammoniacalis, aëre fatiscentes, hinc exstrinsecus plerumque pulvere albo obtectae, calore plane volatiles; acidis adiunctis effervescunt et in pulverem redactae in 5 circiter partibus aquae lente, sed plane solvuntur.

Solutio aquosa (1 = 20), argento nitrico abunde mixta et acido nitrico acidulata neque colorem fuscum trahat, nec inter 2 minuta nisi opalescenter turbetur; eadem acido acetico acidulata nec aqua hydrosulfurata, nec ammonio oxalico, nec baryo nitrico mutetur; eadem

acido hydrochlorico supersaturata adiecto ferro sesquichlorato soluto ne rubefiat.

Gramma salis, acido nitrico supersaturatum et in balneo aquae evaporando siccatum residuum efficiat coloris expers, quod calore aucto plane avolet.

Praeparatum in pulverem album dilapsum reiice.

Ammonium chloratum.

Pulvis crystallinus albus, odoris expers, calefactus evaporans; in partibus 3 aquae frigidae, in parte 1 aquae ebullientis solvitur, in spiritu vini paene insolubilis est.

Solutio aquosa, reactionis neutrius, cum kalio hydrooxydato soluto calefacta ammoniam evolvit, cum argento nitrico mixta sedimentum album caseosum, in acido nitrico insolubile, in ammonia solubile efficit.

Solutio aquosa (1 = 20) nec aqua hydrosulfurata, nec solutione baryi nitrici, nec solutione ammonii oxalici neve acido sulfurico diluto mutetur, nec acido hydrochlorico acidulata guttis aliquot ferri sesquichlorati soluti additis rubro colore tingatur; ammonium sulfuratum sedimentum nigrum ne efficiat, ad summum colorem viridem haud solidum producat.

Gramma salis, cum acidi nitrici exigua quantitate in balneo aquae evaporando siccatum residuum album praebeat, quod leniter candefactum colorem ne trahat, sed plane aufugiat.

Amylium nitrosum.

Liquor limpidus subflavus, odoris peculiaris, illum pomorum monentis, saporis urentis aromatici, ponderis specifici 0·870—0·880, inter 97°—99° ebulliens, in

aqua vix, in spiritu vini et aethere in omni proportione solubilis. Incensus deflagrat, flammam edens flavam, lucidam, fuliginosam, residuo nullo relicto.

Quodsi solutioni ferri sulfurici superfunditur Amylium nitrosum brevi tempore eo plano, quo ambo liquores inter se contingunt, color fuscus nascitur.

Centimetra cubica 5 Amylii nitrosi reactionem alcalinam mixtionis e centimetri cubici 0·1 ammoniae et e centimetro cubico 1 aquae ne deleant.

Mixtura e centimetro cubico 1·5 solutionis argenti nitrici, centimetro cubico 1·5 alcoholis absoluti et guttis nonnullis ammoniae centimetro cubico 1 Amylii nitrosi leni calore ne colorem fuscum neve nigrum tribuat.

Amylium nitrosum ad temperaturam 0° refrigeratum ne turbetur.

Servetur a luce remotum in vasis bene siccatis et clausis.

Amylum Oryzae.

Amylum e fructibus *Oryzae sativae* (L.) in officinis propriis separatum.

Pulvis subtilissimus albissimus opacus, odoris saporisque expers, insolubilis in aqua frigida nec non in spiritu vini.

Microscopio exploratus sistit granula minuta 3—9, plerumque 6 micromillimetra in diametro, polyedra, magna ex parte regulariter penta- et hexagona, quoad magnitudinem et formam satis aequalia, non raro duo aut plura cohaerentia.

Cum aqua conquassatum Amylum Oryzae filtrando liquorem praebeat, qui ne nisi minime chartam exploratoriam mutet.

100 partes eius ne plus quam partem dimidiam cineris relinquant.

Ne sit inquinatum amylo Tritici aut aliis amyli speciebus.

Amylum Tritici.

Amylum e fructibus *Tritici vulgaris* (Vill.) notissimis in officinis propriis separatum.

Pulvis subtilissimus albus opacus, odoris et saporis expers, in aqua frigida et in spiritu vini insolubilis.

Microscopio exploratus sistit granula, quorum alia sunt minima plerumque globosa aut subglobosa, alia permulto maiora, in diametro 30—40 micromillimetra, orbicularia vel subreniformia, in latere sublentiformia, singula eorum nucleo aut rima stellata centrali et stratis concentricis ornata; granula magnitudinis mediae rarius reperiuntur.

Pars 1 Amyli Tritici, cum partibus 50 aquae cocta post refrigerationem mucilaginem turbidam tenuem praebeat, quae chartam exploratoriam ne nisi minime mutet.

Partes 100 Amyli Tritici ne plus quam partem dimidiam cineris relinquant.

Anetholum.

Ex oleo aethereo fructus *Anisi vulgaris* paratum sistit massam albam crystallinam odoris fructus Anisi peculiaris, saporis aromatici subdulcis, ponderis specifici 0·984—0·986; temperatura 20° —21° liquescit, versus 232° —234° ebullit.

Anetholum in partibus 2 spiritus vini perfecte solvatur; calore sensim aucto avolet, residuo vel nullo, vel nonnisi perexiguo relicto.

Antipyrinum.

Crystalli tabulaeformes decolores, odoris expertes vel pulvis crystallinus saporis mite amari; liquescit calore 110°. Pars 1 Antipyrini solvitur in minus quam 1 parte aquae frigidae, in 1 circiter parte spiritus vini et chloroformii et in 50 circiter partibus aetheris.

Solutio aquosa (1 = 100) addita solutione acidi tannici sedimentum copiosum album deponit.

Centimetra cubica 2 huius solutionis, adiectis guttis nonnullis acidi nitrici fumantis colorem caeruleo-viridem trahunt.

Centimetra cubica 2 solutionis Antipyrini (1 = 1000) adiecta gutta ferri sesquichlorati soluti colorem saturate rubrum induunt, qui additis guttis 10 acidi sulfurici diluti in colorem subflavum transit.

Solutio aquosa Antipyrini (1 = 2) sit reactionis neutrius, decolor; aqua hydrosulfurata ne mutetur.

Decigramma Antipyrini combustum residuum ponderabile ne relinquat.

Antipyrinum Coffeïno-citricum.*)

Rp:	Antipyrini	*partes*	90
	Coffeïni	*partes*	9

---

*) Loco praeparati, quod occurrit in mercatura sub nomine „Migraenin".

Acidi citrici	*partem*	1
Aquae	*q. s.*	

ad perfectam solutionem, quam filtratam evapora ad siccitatem.

Massa crystallina alba, saporis amari subsalsi, temperatura 104°—108° liquescens, candefacta deflagrans nullo residuo relicto; facillime solubilis in aqua, in spiritu vini et in chloroformio, difficilius in aethere.

Solutio aquosa, reactionis acidulae, addito acido nitrico fumante colorem saturate viridem induit.

Antipyrinum Coffeïno-citricum cum acido nitrico humectatum et in balneo aquae siccatum residuum coloris flavo-rubri relinquit, qui caute addita ammonia in colorem coccineum evanescentem transit.

Antipyrinum salicylicum.*)

Lamellae crystallinae albae splendentes, saporis ex acerbo dulciusculi tum aciduli, temperatura 91°—92° liquescentes, in aëre calefactae sine residuo deflagrantes, facile solubiles in spiritu vini et in chloroformio, difficilius in aqua et in aethere. Solutio aquosa reactionis acidae est.

Ferrum sesquichloratum solutum superfusum Antipyrino salicylico colorem violaceum efficit.

Solutio Antipyrini salicylici aquosa, addito acido nitrico fumante colorem saturate viridem ducit.

Decigrammata 5 Antipyrini salicylici addito acido sulfurico diluto cum aethere perfecte extracta, aethere

*) Occurrit in mercatura sub nomine „Salipyrin“.

avolato ne relinquant minus quam centigrammata 21 acidi salicylici. Liquor inde restans acidus, kalio hydrooxydato soluto supersaturatus et cum chloroformio conquassando exhaustus, chloroformio avolato ne minus quam milligrammata 288 Antipyrini relinquat.

Apomorphinum hydrochloricum.

Crystalluli vel pulvis crystallinus coloris e cinereo albi, in aqua et spiritu vini solubilis, in aethere et chloroformio fere insolubilis. Sal siccum aëri humido et luci expositum colorem viridem induit.

Sal siccum nec non solutio aquosa eius acido nitrico adiecto colorem sanguineum trahit.

In solutione argenti nitrici solutione Apomorphini hydrochlorici cum ammonia mixta statim argentum metallicum disiungitur.

Solutio aquosa Apomorphini hydrochlorici ferro sesquichlorato soluto colorem amethystinum, mixta cum kalio hydrooxydato soluto brevi tempore colorem e fusco nigricantem accipit.

Solutio aquosa, reactionis neutrius, coloris plane aut fere expers aëri exposita, citius lente calefacta virescit et reactionem alcalinam recipit.

Sal in lamina platinea calefactus deflagrat, odorem peculiarem aromaticum spargens, residuo nullo relicto.

Apomorphinum hydrochloricum, quod cum partibus 100 aquae solutionem smaragdinam exhibet, reiiciendum est.

Aether cum Apomorphino hydrochlorico sicco conquassatus ne colorem nisi e rubro pallentem accipiat.

Servetur Apomorphinum hydrochloricum in loco sicco in vasis optime clausis, a luce remotum. Dispensentur eius solutiones in lagenis luci imperviis.

Aquae destillatae.

Parentur in apparatu destillatorio ope vaporis. Medicamina ad parandas aquas destillatas praescripta nonnisi qualitatis optimae et siccata concisa aut contusa, in genere sine maceratione, extensa in diaphragmate cribriformi, quod immittitur in recipientem apparatus, destillationi submittuntur. Evolutio vaporis sit in principio moderata.

Aquae destillatae sic obtentae maxima ex parte reactionis neutrius sunt, nonnullae acidulae, aliaeque paulum alcalinae.

Aquae destillatae sint odoris et saporis peculiaris, qui substantiis volatilibus medicaminum insunt, e quibus parantur.

Aqua hydrosulfurata admixta ne mutentur et evaporatae nihil residui relinquant.

Serventur in loco obscuro et frigido in lagenis optime obturatis.

Ante dispensationem Aquae destillatae fortiter conquassatae filtrando ab oleo aethereo secreto innatante separentur.

Aqua aromatica spirituosa.

Rp: **Foliorum Melissae** (I),
Foliorum Menthae piperitae (I)
Foliorum Salviae (I)

Florum Lavandulae	*āā partes* 20
Florum Caryophylli (III)	
Fructus Foeniculi (III)	
Arilli Myristicae (III)	
Seminis Myristicae (III)	
Corticis Cinnamomi (III)	
Radicis Zingiberis (III)	*āā partes* 10
Spiritus Vini	*partes* 200.

Destillando lege artis abstrahe

Aquae aromaticae spirituosae	*partes* 1000.

Liquor primum turbidus, dein enascens limpidus, odoris fragrantis amoeni et spirituosi, saporis acre aromatici, reactionis leniter acidulae, ponderis specifici 0·96—0·98.

Aqua Aurantii florum.

Liquor venalis, limpidus aut paulum opalescens, coloris expers, odoris suavissimi florum Aurantii, saporis amariusculi.

Aqua hydrosulfurata ne mutetur. Ne dispensetur dilutus.

Aqua Calcis.

Rp: **Calcii oxydati recenter usti**	*partes* 100.
Extingue cum	
Aquae	*partibus* 400
et adde sub continua agitatione	
Aquae	*partium* 5000.

Sepone et aliquot horis elapsis liquidum separa a sedimento, cui admisce

Aquae *partium* 5000

et serva in lagena bene obturata.

Ad usum Aqua Calcis filtranda est.

Liquor limpidus coloris expers, reactionis alcalinae; ebulliendo turbatur.

Ad redigenda neutra centimetra cubica 100 Aquae Calcis ne minus consumantur quam 4, neque plus quam 4·5 centimetra cubica solutionis alcalimetricae normalis.

Aqua carbolisata.

Rp: **Acidi carbolici liquefacti** *partes* 22.

Misce cum

Aquae *partibus* 978.

Liquor limpidus coloris expers, acidum carbolicum redolens, ferro sesquichlorato soluto addito colorem amethystinum trahens, in partibus 100 continens partes 2 acidi carbolici.

Aqua carminativa.

Rp: **Foliorum Menthae piperitae** (I)
Florum Chamomillae Romanae
Fructus Foeniculi (III)
Fructus Coriandri (III)
Fructus Carvi (III)
Pericarpii Aurantii (II) *aa partes* 15.

Destillando lege artis abstrahe

Aquae carminativae *partes* 1000.

Liquor primo turbidus, tum limpidus evadens, coloris expers, odoris et saporis valde aromatici, reactionis acidulae.

Aqua Chamomillae.

Rp: **Florum Chamomillae vulgaris** *partes* 10.
Destillando lege artis abstrahe
Aquae Chamomillae *partes* 100.

Liquor primo turbidus, coloris caerulei, evadens tum limpidus, decolor, odoris et saporis florum Chamomillae vulgaris.

Aqua Chlori.

Rp: **Mangani hyperoxydati in frustis** *q. s.*
ut expleatur cucurbita satis capax, tunc adde
Acidi hydrochlorici venalis, antea tertia parte aquae diluti, quantitatem sufficientem, ut ad dimidium circiter cucurbita repleatur.

Cucurbitam iunge cum excipulo Woulffiano, cui inest aquae quantitas sufficiens ad lotionem gasis extricati. Excipulo adapta tubum vitreum bis curvatum, cuius longior extremitas fere tangat fundum lagenae, quae ad dimidium aqua destillata sit repleta.

Leni calore fiat extricatio gasis. Lagenam, quodsi chloro repleta fuerit, commuta cum altera, eandem quantitatem aquae continente. Lagena remota claudatur et gas cum aqua conquassetur, dein denuo chlorum in lagenam inducatur. Hanc agendi rationem etiam cum altera lagena exsequere et repete, donec gas non amplius absorbeatur.

Aqua Chlori sit limpida, coloris e subflavo viridis, odoris suffocantis; pigmenta vegetabilia cito destruat.

Partes 1000 contineant minime partes 4 gasis chlori. Exinde grammata 25 Aquae Chlori, solutioni aquosae kalii iodati e grammate 1 in grammis 5 aquae adiecta solutionis natrii thiosulfurici decinormalis minime 28·2 centimetra cubica requirant, ut iodum liberatum iungatur.

Servetur in lagenis parvis, penitus repletis, epistomeis vitreis clausis, a luce remotis in loco frigido.

Aqua chloroformiata.

Rp:	**Chloroformii**	*partem*	1
	Aquae	*partes*	100.

Misce conquassando fortiter et filtra per filtrum aqua humectatum.

Liquor limpidus coloris expers, saporis subdulcis et acris, reactionis neutrius.

Paretur ex tempore et dispensetur in lagenis luci imperviis.

Aqua Cinnamomi.

Aqua Cinnamomi spirituosa.

Rp:	**Corticis Cinnamomi** (III)		
	Spiritus Vini	*āā partes*	10.

Macera per 12 horas.

Tum abstrahe destillando lege artis

Aquae Cinnamomi	*partes*	100.

Liquor initio turbidus, dein sensim sensimque limpidus enascens, ponderis specifici 0·96—0·98, odoris et saporis cinnamomei et spirituosi.

Aqua destillata.

Liquor limpidus, coloris, saporis et odoris expers, reactionis neutrius.

Aqua destillata nec aqua hydrosulfurata, nec ammonio sulfurato, nec ammonio oxalico, neque baryo nitrico, nec argento nitrico mutetur.

Cum partibus 2 aquae calcis mixta Aqua destillata ne turbetur.

Aquae destillatae centimetra cubica 20 evaporata residuum ponderabile ne relinquant.

Quodsi Aquae destillatae centimetra cubica 100, mixta cum acidi sulfurici diluti centimetro cubico 1 ad ebullitionem fervefeceris et additis centimetri cubici 0·3 solutionis kalii hypermanganici (1 = 1000) per 3 minuta ebullitionem continueris, color liquoris roseus ne evanescat.

Miscella e centimetris cubicis 100 Aquae destillatae et centimetris cubicis 2 solutionis Nessleri coloris expers maneat.

Aqua Foeniculi.

Rp: **Fructus Foeniculi** (III) *partes* 5.

Destillando lege artis abstrahe

Aquae Foeniculi *partes* 100.

Liquor decolor, limpidus, odoris Foeniculi, saporis dulciusculi et aromatici.

Aqua Goulardi.

Rp: **Plumbi acetici basici soluti** *partes* 2

Spiritus Vini diluti *partes* 5

Aquae *partes* 93.
Miscendo ex tempore paretur.
Liquor sit limpidus vel paulum turbidus.

Aqua kresolica.

Rp: **Kresoli liquefacti** *partes* 22.
Misce cum
Aquae *partibus* 978
et filtra.

Liquor limpidus coloris expers, reactionis neutrius, Kresolum redolens, ferro sesquichlorato soluto addito colorem caeruleum trahens, qui mox in viridem transit.

Aqua Laurocerasi.

Rp: **Foliorum Laurocerasi recentium** *concisorum et contusorum* *partes* 100.
Destillatione lege artis abstrahe
Aquae Laurocerasi *partes* 100
seu tantum, ut 1000 partes liquoris partem 1 acidi hydrocyanici contineant.

Liquor paene limpidus, coloris expers, redolens fortiter oleum aethereum amygdalarum amararum.

Si Aqua Laurocerasi argento nitrico soluto tractatur, liquor filtratus aequali modo redoleat oleum aethereum.

Aqua hydrosulfurata addita Aqua Laurocerasi ne mutetur.

Aquae Laurocerasi centimetra cubica 5 cum aliquot guttis argenti nitrici soluti tractata et cautissime cum aequali volumine acidi sulfurici concentrati commixta ne statim turbentur.

Aquae Laurocerasi centimetra cubica 25, diluta cum centimetris cubicis 100 aquae, admixtis centimetris cubicis 2 kalii hydrooxydati soluti requirant centimetra cubica 4·5—4·8 solutionis argenti nitrici decinormalis, donec liquor permaneat albo-turbidus.

Si Aquae Laurocerasi centimetra cubica 10, acido nitrico acidulata, cum centimetri cubici 0·8 solutionis argenti nitrici decinormalis commixta filtrantur, liquor filtratus argento nitrico soluto iterum addito ne turbetur.

Aqua Laurocerasi a luce remota servetur. Dispensetur in lagenis luci imperviis.

Loco *Aquae Amygdalarum amararum concentratae* Aquam Laurocerasi, loco *Aquae Amygdalarum amararum dilutae* Aquam Laurocerasi cum partibus 19 aquae ex tempore mixtam dispensare licet.

Aqua Menthae piperitae.

Rp: **Foliorum Menthae piperitae** (I) *partes* 20.
Destillatione lege artis abstrahe
Aquae Menthae piperitae *partes* 100.

Liquor decolor, subturbidus, odoris et saporis Menthae piperitae.

Aqua plumbica.

Rp: **Plumbi acetici basici soluti** *partes* 2.
Misce cum
Aquae *partibus* 98.
Paretur ex tempore.

Aqua plumbica sit limpida aut subturbida.

Aqua Rosae.

Rp:	Olei Rosae	*guttas*	5
	Aquae tepidae	*grammata*	1000.

Misce fortiter conquassando et filtra.

Liquor limpidus, odoris suavis Rosae.

Araroba depurata.

Chrysarobinum.

Andira Araroba Aguiar, arbor in silvis provinciae Brasiliensis Bahia frequens.

Pulvis crystallinus levis, coloris aurei, odoris et saporis expers, ex Araroba cruda, substantia friabili subterrosa coloris flavido-subfusci vel ochracei in cavernis lysigenis ligni arboris reperta, depurando benzolo fervido paratus.

Cum aqua ebulliente conquassatus praebet filtrando liquorem subflavum, qui neque chartam exploratoriam mutat neque ferro sesquichlorato soluto coloratur; cum ammonia colorem sensim coccineum trahit; cum acido sulfurico concentrato oritur solutio rubro-fusca, cum kalio hydrooxydato solutio intense cerasina.

In spiritu vini fervido nec non in chloroformio et in carboneo sulfurato Araroba depurata solvitur colore aureo fere ex toto.

Milligramma Ararobae depuratae solvatur in gutta acidi nitrici fumantis colore rubro, qui addita ammonia in violaceum mutetur.

In patina calefacta Araroba depurata liquescit, vapores flavos emittit, tum paulum carbonescit, postremo deflagrat.

Argentum foliatum.

Lamellae tenues splendoris pure argentei, quae in acido nitrico in liquorem limpidum decolorem solvuntur.

In hac solutione acidum hydrochloricum sedimentum album caseosum producit, quod in acido nitrico insolubile, in ammonia facile et decolor solvitur.

Argentum nitricum crystallisatum.

Crystalli tabulaeformes pellucidae, decolores, facillime in aqua, difficilius in spiritu vini solubiles.

Solutio aquosa, reactionis neutrius, acido hydrochlorico mixta emittit sedimentum copiosum album, quod ammonia abundante facile sine ullo colore limpide solvitur.

Solutio aquosa (1 = 10) cum quadruplo volumine acidi sulfurici diluti mixta et ad ebullitionem calefacta ne mutetur, neque baryo nitrico plus quam opalescenter turbetur; acido hydrochlorico praecipitata et filtrata liquorem praebeat, cuius pars altera nec ammonia abundante, nec aqua hydrosulfurata addita coloretur aut turbetur, pars altera ad siccum evaporata residuum nullum relinquat.

Servetur a luce remotum. Solutiones dispensentur in lagenis luci imperviis.

Argentum nitricum cum Kalio nitrico.

Rp: **Argenti nitrici** *partem* 1
Kalii nitrici *partes* 2.

Intime mixtas in vase porcellaneo caute liquatas in bacillorum formam funde.

Bacilli albi opaci duri, fracti structuram crystallinam haud praebeant; in aqua solvantur facile reactione neutra.

Gramma 1 Argenti nitrici cum Kalio nitrico solve in centimetris cubicis 10 aquae, adde solutioni centimetra cubica 20 solutionis natrii chlorati decinormalis et guttas nonnullas solutionis kalii chromici, tum titra cum solutione argenti nitrici decinormali. Huius solutionis ne plus quam centimetrum cubicum consumatur, ut evadat color liquoris permanenter ruber.

Argentum nitricum fusum.

Rp: **Argenti nitrici crystallisati** *q. v.*

Calefiat in vase porcellaneo, donec massa olei instar fluxerit; haec effundatur in modulum ferreum bene mundatum ac tepefactum, qui bacillorum formas habet.

Bacilli refrigerati sint albi vel cinerescentes, fracturae radiatae crystallinae et omni modo erga reagentia se habeant, ut argentum nitricum crystallisatum.

Servetur et dispensetur in vasis luci imperviis.

Arillus Myristicae.

Macis.

Myristica fragrans Houttuyn, arbor in insulis Molluccis indigena, in terris tropicis culta.

Arillus semen obducens, tunicam exhibens carnosam sanguineam, basi campanulata hilo adnatam, sursum irregulariter multifidam laciniis ad apicem conniventibus.

Obvenit in mercatura siccatus aut integer compressus aut in fragmentis coloris e fusco aurantiaci, fragilibus, tactu pinguibus, pinguiter nitentibus, odoris grate aromatici, saporis fervide condimentarii.

Ope microscopii explorata merx sistit parenchyma obtectum epidermide e cellulis elongatis subfusiformibus et traiectum fasciculis vasorum exiguis. In parenchymate e cellulis obsolete polyedris, granulis polymorphis foetis, quae solutione iodi colorem sordide rubicundum assumunt, inveniuntur utriculi numerosi sphaeroidei, oleo aethereo repleti.

100 partes mercis ne plus quam partes 2·5 cineris relinquant.

Atropinum sulfuricum.

Massae albae crystallinae ex Atropino puro liquescente 115·6° paratae.

Liquescunt calore 180°; facile in aqua, spiritu vini, non in aethere et chloroformio solubiles.

Solutio aquosa, reactionis neutrius, millies adhuc diluta saporis amari nauseam moventis, pupillam dilatat. Solutio baryi nitrici in solutione aquosa Atropini

sulfurici sedimentum album, in acido hydrochlorico insolubile deponit.

Milligramma Atropini sulfurici in tubulo vitreo usque ad evolutionem vaporis albi fervefactum et grammate 1·5 acidi sulfurici concentrati adiecto rursus, donec furvescere incipiat calefactum emittit, si grammata 2 aquae addideris, odorem suavem, maxime peculiarem, qui crystallulo kalii hypermanganici iniecto in odorem olei amygdalarum amararum aetherei transit.

Centigramma Atropini sulfurici cum guttis 5 acidi nitrici fumantis mixtum atque in balneo aquae siccatum residuum vix subflavum exhibet, quod refrigeratum cum gutta solutionis spirituosae kalii hydrooxydati extemplo colore violaceo in rubrum transeunte inficitur.

Solutio Atropini sulfurici (1 = 60) addito kalio vel natrio hydrooxydato soluto turbatur, sed addita ammonia vel solutione ammonii carbonici ne turbetur.

Atropinum sulfuricum cum acido sulfurico concentrato solutionem decolorem praebeat, in qua vel adiecto acido nitrico color quivis ne oriatur.

Axungia Porci.

Pinguedo e recente mesenterio et capsula renali *Suis scrofae* sanae aqua optime abluta et minute concisa liquando in balneo aquae et colando a partibus membranaceo-cellulosis separata.

Centeni partes eius per semihoram in balneo aquae continue agitando cum partibus binis natrii sulfurici sicci digerantur, per stratum gossypii depurati densum colentur et usque ad refrigerationem agitentur.

Sit Axungia Porci alba, consistentiae aequabilis mollis, odoris proprii debilis haud rancidi, temperatura 36°—42° liquescens.

Grammata 5 Axungiae, in tubulo probatorio liquata praebeant sine ullo residuo fluidum limpidum decolor, quod cum grammis 10 aquae fervidae fortiter conquassatum filtrando liquorem efficiat, qui nec chartam exploratoriam rubram mutet, nec addita solutione argenti nitrici mutetur.

Solutio e grammis 10 Axungiae in mixtura e chloroformii et spiritus vini āā centimetris cubicis 10 et centimetri cubici 0·2 solutionis kalii hydrooxydati normalis, addita gutta solutionis phenolphthaleini fortiter conquassando colorem purpureum induat.

Mixtio e grammis 2 Axungiae, grammis 3 natrii hydrooxydati et grammis 2 spiritus vini in balneo aquae usque ad solutionem limpidam cocta, additis grammis 50 aquae et grammis 10 spiritus vini limpida remaneat.

Quodsi grammata 5 Axungiae liquatae in tubulo probatorio conquassaveris cum solutione e centigrammis 5 argenti nitrici in grammis 2 aetheris, grammis 10 spiritus vini et guttis 2 acidi nitrici diluti, tum hanc mixturam per quadrantem horae in balneo aquae calefeceris et per horam seposueris, pinguedo, in tubulo probatorio stratum infimum exhibens, alba nec fuscescens aut nigrescens et liquor superpositus fere decolor et limpidus sit.

Numerus saponificationis sit 194—197, numerus iodi 48—60.

Bacilli medicati.

Stili, Cereoli medicati.

Medicamenta ad usum externum localem, imprimis inducenda in corporis cavitates sub forma bacilli vel

stili aut aequaliter cylindrici aut ad finem sensim attenuati vel acuminati longitudinis 2—10 centimetrorum, diametri 2—3 millimetrorum.

Bacilli medicati praeparantur e massa, cuius constituentia sunt aut gelatina glycerinata aut oleum Cacao aut pulvis gummi Acaciae vel pulvis Tragacanthae et farina tritici, kaolinum et alii pulveres indifferentes mixti cum glycerino et aqua.

Ex hac massa formantur bacilli aut malaxando et volvendo tormento, aut effundendo massam liquatam in formas tubulosas, aut expressione massae ope siphonis proprii.

Substantiae medicamentosae aut massae exactissime miscendo incorporantur, aut bacilli solummodo in eorum superficie substantia medicamentosa illinuntur.

Bacilli medicati plerumque sunt molliores, flexiles, rarius duri, fragiles.

Bacilli seu stili caustici, praeparati e crystallo maiore substantiae medicamentosae tornando et levigando aut effusione substantiae medicamentosae liquatae in formas tubulosas sunt solidi, rigidi et fragiles.

Balsamum Copaïvae.

Copaïbae species inprimis *Copaïba officinalis* Jacquin et *Copaïba Guyanensis* O. Kuntze, arbores Americae meridionalis tropicae.

Balsamum naturale e truncis arborum vulneratis effluens.

Liquor consistentiae olei pinguis limpidus, flavus aut e flavo subfuscus, ponderis specifici 0·94—0·99,

odoris peculiaris balsamici, saporis cum aliqua acredine amaricantis.

Balsamum Copaïvae limpide solvatur in alcohole absoluto, aethere, chloroformio, alcohole amylico et carboneo sulfurato.

Lente calefactum ne redoleat oleum Terebinthinae.

In balneo aquae evaporatum resinam laete fuscam limpidam, post refrigerationem solidam, fragilem, amorpham relinquat.

Grammata 3 Balsami cum centimetris cubicis 2 aetheris petrolei solutionem limpidam praebeant, ex qua additis aliis partibus huius resina in flocculis albidis praecipitetur.

Grammata 3 Balsami cum centimetro cubico ammoniae conquassando solutionem limpidam efficiunt, quae et remaneat limpida, quodsi addideris fortiter conquassando centimetrum cubicum alterum et etiam tertium ammoniae.

Solutio e guttis 5 Balsami in centimetris cubicis 15 acidi acetici concentrati admixtis guttis 5 acidi nitrici concentrati intra horam colorem roseum ne accipiat.

Balsamum Peruvianum.

Toluifera Pereirae Baillon, arbor in montanis civitatis San Salvador Americae centralis.

Liquor syrupi instar lentus, tactu unguinosus, non glutinosus, coloris e nigro fusci, in stratis tenuioribus fusco-rubri, limpidus pellucidus, ponderis specifici 1·14—1·16, reactionis acidae, in aëre non siccescens, odoris grati vanillacei, aliquantulum empyreumatici, saporis subamari acris.

Solvitur limpide in aequali pondere spiritus vini.

Partes 3 Balsami partem 1 carbonei sulfurati absorbent quin turbentur, verum 8 aliis partibus eius additis resina e fusco nigra praecipitatur. Liquor inde effusus limpidus fusco-flavus nullo modo fluorescat.

Solutio Balsami in benzino exhalatione spontanea residuum oleaceum subflavum praebet, quod leniter calefactum neque Terebinthinam, neque Styracem, neque balsamum Copaïvae redoleat.

Conquassando cum aqua volumen Balsami ne diminuatur.

Pars 1 Balsami solvatur limpide in partibus 5 solutionis chlorali hydrati (60 = 100).

Quodsi miscellam e grammis 5 Balsami, aquae et natrii hydrooxydati soluti āā centimetris cubicis 10 et aetheris centimetris cubicis 100 per nonnulla minuta fortiter conquassaveris, centimetra cubica 50 solutionis limpidae aethereae in balneo aquae ad pondus constans evaporata minime decigrammata 14 residui praebeant, cuius numerus saponificationis sit 236.

Aqua destillatum Balsamum Peruvianum ne praebeat oleum aethereum.

Balsamum Styrax liquidus.

Liquidambar orientalis Miller, arbor Asiae minoris.

Balsamum, e cortice arboris coctione cum aqua et expressione paratum sistit massam semiliquidam, tenacem, glutinosam, in aqua demergentem et cum pauxillo aquae permixtam turbidam, coloris e griseo fuscescentis, odoris peculiaris fragrantis, saporis aromatici, subamaricantis.

Antequam Balsamum adhibeatur, in balneo aquae evaporando ab aqua immixta maxima ex parte liberetur, tum in aequali pondere spiritus vini solvatur et e solutione filtrata alcohol evaporetur.

Styrax liquidus inde obtentus **depuratus** sistit massam coloris fusci, in strato tenui pellucidam, consistentiae extracti spissi, solubilem limpide in aequali pondere spiritus vini, in aethere, carboneo sulfurato et in benzolo, nec in aethere petrolei.

Cum solutione kalii hypermanganici leniter calefactus redoleat fortiter oleum amygdalarum amararum aethereum.

100 partes Balsami minime partes 65 Styracis depurati efficiant. Eadem quantitas Balsami spiritu vini ebulliente perfecte exhausta ne plus quam partes 2·5 residui exhibeat.

100 partes Styracis depurati ne plus quam partem dimidiam cineris relinquant.

Balsamum Terebinthina.

Terebinthina communis.

Pinus Laricio Poiret, *Pinus silvestris* L. et aliae *Pini* species, arbores in Europa et in America boreali indigenae.

Balsamum naturale e truncis vulneratis effluens semifluidum, turbidum, granulosum, lentum tenax, albidum vel ochroleucum, sub microscopio crystallos cotiformes exhibens, odoris peculiaris haud grati penetrantis, saporis amariusculi irritantis.

Per longius tempus sepositum stratum limpidum et diaphanum coloris succini in superficie praebet.

Balsamum Terebinthina, in partibus 100 partes 70—85 resinae et partes 30—15 olei aetherei continens, in balneo aquae calefactum evadit limpidum.

Pars 1 Balsami Terebinthinae cum partibus 5 spiritus vini solutionem limpidam praebeat, quae chartam exploratoriam caeruleam aqua humefactam fortiter rubefaciat.

Balsamum Tolutanum.

Toluifera Balsamum L., arbor indigena in America meridionali, praesertim in civitate Nova-Granatensi.

Massa resinosa solida micro-crystallina, coloris rubro-fusci, friabilis, pulverem flavescentem praebens, calore emollescens, odoris balsami Peruviani suavissimi, saporis aromatico-aciduli cum leni acredine.

Balsamum Tolutanum est solubile in spiritu vini, in chloroformio et in kalio hydrooxydato soluto, sed paulum solubile in aethere petrolei et in carboneo sulfurato.

Solutio alcoholica limpida chartam exploratoriam caeruleam rubefaciat.

Pars 1 Balsami per aliquot minuta calefacta cum partibus 10 aquae calcis praebet filtrando liquorem flavum, qui acido hydrochlorico acidulatus decolor evadit et refrigeratus crystallos decolores demittit.

*Bismuthum subgallicum.**)

Pulvis amorphus, ponderosus, coloris sulfurei, odoris et saporis expers, insolubilis in aqua nec non in spiritu vini et in aethere.

---

*) Occurrit in mercatura sub nomine „Dermatol".

Calefactus haud liquescens carbonescit, residuo relicto coloris e subfusco flavi.

Pulvis addita aqua hydrosulfurata colorem nigro-fuscum induit, cum ferro sesquichlorato soluto conquassatus liquorem caeruleum praebet.

Bismuthum subgallicum, cum solutione natrii carbonici (1 = 10) calefactum liquorem limpidum flavum exhibet, qui aëri expositus sensim sensimque colorem obscuriorem accipit.

Decigrammata 5 Bismuthi subgallici conquassata cum centimetris cubicis 5 aquae liquorem produnt, qui filtratus chartam exploratoriam ne mutet.

Gramma Bismuthi subgallici cum centimetris cubicis 10 spiritus vini conquassatum liquorem praebet, qui filtratus et evaporatus ne residuum relinquat nisi minimum.

Quodsi decigrammata 2 Bismuthi subgallici mixta sunt cum centimetro cubico acidi sulfurici concentrati et superinfusa solutione ferri sulfurici ne color fuscus oriatur.

Quodsi gramma Bismuthi subgallici ignitum acido nitrico humectatum calefeceris usque evolutio vaporum cessaverit, post refrigerationem contriveris, in pauca quantitate acidi hydrochlorici solveris et huic solutioni volumen duplex solutionis stanni chlorati adieceris, mixtio inter horam colorem obscuriorem ne accipiat.

Quodsi residuum grammatis Bismuthi subgallici optime siccati in olla porcellanea ad perfectam combustionem leniter candefactum in acido nitrico solveris et solutione caute evaporata residuum ex novo igniveris, centigrammata 53—55 bismuthi oxydati relinquantur.

Hoc oxydum solvitur in acido nitrico et solutio dein obtenta cum centimetris cubicis 20 aquae diluitur.

Probae huius liquoris nec adiecta solutione baryi nitrici, neque solutione argenti nitrici, nec acido sulfurico diluto mutentur; addita ammonia superabundante liquorem filtratum exhibeant decolorem; aqua hydrosulfurata praecipitatae filtratum praebeant, quod evaporando ne relinquat nisi vestigia residui.

Bismuthum subnitricum.

Rp: **Bismuthi subtiliter pulverati** *partes* 200
Kalii nitrici *partes* 20.

Intime mixtae in crucibulo, calore sensim aucto, liquescant et saepius agitando per quadrantem horae fluant. Metallum liquefactum in aquam effusum a scoriis separetur.

Huius metalli purgati ruditer pulverati *partes* 100
sensim ingerantur in cucurbitam, quae continet
Acidi nitrici concentrati *partes* 260.

Languescente solutione vim acidi calefaciendo auge, usque dum ebulliat.

Liquor partus filtretur et misceatur cum
Aquae temperatura 40° *partium* 6000.

Praecipitatum inde ortum, filtro collectum atque cum
Aquae temperatura 15° *partibus* 500
lotum, inter chartam bibulam exprimatur et in loco frigido umbroso siccetur.

Pulvis crystallinus albus, reactionis acidae, in tubulo vitreo calefactus vapores primo aqueos postea nitricos emittit et residuum flavum bismuthi oxydati relinquit; kalio hydrooxydato soluto addito calefactus ammoniam ne exhalet.

Decigrammata 5 Bismuthi subnitrici in centimetris cubicis 5 acidi nitrici diluti soluta liquorem limpidum

praebeant, qui centimetri cubici 0·5 solutionis argenti nitrici ne nisi opalescenter turbetur, neque centimetri cubici 0·5 solutionis baryi nitrici cum volumine aequali aquae dilutae mutetur.

Decigrammata 5 Bismuthi subnitrici temperatura vulgari in centimetris cubicis 25 acidi sulfurici diluti absque effervescentia limpide solvuntur. Haec solutio addita ammonia abundante filtratum decolor exhibeat.

Decigrammata 5 Bismuthi subnitrici in sufficiente quantitate acidi hydrochlorici soluta, addita aqua hydrosulfurata abundante filtratum exhibeant, quod evaporatum residuum ponderabile ne relinquat.

Quodsi gramma Bismuthi subnitrici calefeceris, usque evolutio vaporum cessaverit, post refrigerationem contriveris, in pauca quantitate acidi hydrochlorici solveris et huic solutioni volumen duplex solutionis stanni chlorati adieceris, mixtio inter horam colorem obscuriorem ne accipiat.

Decigrammata 5 Bismuthi subnitrici ignita centigrammata 39—41 bismuthi oxydati exhibeant.

Bismuthum subsalicylicum.

Pulvis amorphus albus, odoris et saporis expers, in aqua et in spiritu vini paene insolubilis, calefactus comburit, quin liquescat residuo flavo relicto.

Decigrammata 5 Bismuthi subsalicylici solutionem ferri sesquichlorati dilutam (1 = 20) superfusam inficiunt colore violaceo; aqua hydrosulfurata colorem e fusco nigrum accipiunt.

Decigrammata 5 Bismuthi subsalicylici cum centimetris cubicis 5 aquae conquassata filtratum praebeant, quod chartam exploratoriam caeruleam ne statim rubefaciat.

Quodsi gramma Bismuthi subsalicylici igniveris, residuum in acido nitrico solveris et solutione caute ad siccitatem evaporata residuum iterum calefeceris, ne minus quam centigrammata 63 bismuthi oxydati remaneant.

Solutio bismuthi oxydati hoc modo enati in acido nitrico cum centimetris cubicis 20 aquae diluta nec solutionibus baryi nitrici, nec argenti nitrici neve voluminibus 2 acidi sulfurici diluti mutetur; adiecta ammonia superabundante filtratum decolor, adiecta aqua hydrosulfurata superabundante filtratum praebeat, quod evaporatum residuum ponderabile ne relinquat.

Gramma Bismuthi subsalicylici cum centimetris cubicis 3 solutionis stanni chlorati mixtum inter horam colorem obscuriorem ne accipiat.

Decigrammata 5 Bismuthi subsalicylici cum centimetris cubicis 5 natrii hydrooxydati soluti adiectis decigrammis 5 zinci raspati et ferri pulverati fervefacta ne ammoniam emittant.

Servetur a luce remotum.

Bolus alba.

Massa terrea alba, impellucida, friabilis, humectata subtenax, in aqua sensim in pulverem dilabens nec vero solubilis.

Acido hydrochlorico superfusa ne effervescat, neve aqua expurgata arenam relinquat.

Bulbus Scillae.

Urginea maritima Baker, planta bulbosa in litoribus Europae mediterraneae frequens.

Tunicae bulbi recentis autumno collecti intermediae pallide rubiginosae, carnosae, viscoso-mucilaginosae, reiectis extimis aridis chartaceis, rubro-fuscis aeque ac internis placentam ambientibus concisae, sedulo siccatae subcorneae, fragiles, diaphanae, rubicundae, saporis nauseosi, mucilaginosi, acris et peramari.

Serventur in vasis exacte clausis et pulvis coloris rosei aut subcarnei ne nisi exigua quantitate paratus prostet.

Ope microscopii examinatus sistit praesertim cellulas sat amplas merenchymatis obsolete polyedras, membrana tenui instructas, massam amorpham, in aqua ex toto fere solubilem, singulas aut pigmentum fusco-rubrum, solutione chlorali hydrati colore sanguineo solubile aut crystallum solitariam usque ad millimetrum longam aut raphides calcii oxalici mucilagine circumdatas includentes. Crystalli earum aciculares numerosae undique in pulvere observantur, non raro etiam partes epidermidis e cellulis polygonis, saepe cum stomatibus, nec non fragmenta vasorum spiralium. Amylo nec non pilis pulvis ex toto caret.

Partes 100 mercis ne minus quam 46 extracti spirituosi praebeant; eadem quantitas combusta ne plus quam partes 8 cineris e fusco grisei relinquat.

Calcium carbonicum praecipitatum.

Pulvis crystallinus albus, subtilissimus, in aqua fere insolubilis, in acido acetico diluto cum effervescentia perfecte solubilis; solutio acetica, cum ammonio oxalico tentata sedimentum album crystallinum efficit.

Gramma Calcii carbonici praecipitati cum grammis 50 aquae excoctae conquassatum filtratum praebeat, quod reactionem alcalinam ne exhibeat, neve evaporatum residuum ponderabile relinquat.

Solutio aquosa Calcii carbonici praecipitati (1 = 50) ope acidi acetici diluti ebullientis parata ne solutione baryi nitrici statim neque solutione argenti nitrici post 5 minuta nisi opalescenter turbetur; tum nec ammonia supersaturata, nec aqua calcis sedimentum exhibeat.

Solutio aquosa, ope acidi hydrochlorici e grammate Calcii carbonici praecipitati effecta (1 = 50) aqua hydrosulfurata ne mutetur neque superaddita ammonia ac ammonio sulfurato sedimentum deponat neve colorem viridem accipiat.

Calcium hypochlorosum.

Pulvis albus vel albidus, chlorum redolens, humorem attrahens, in aqua ex parte, in acidis, chloro largiter emisso, fere ex toto solubilis.

Solutio in acido acetico diluto filtrata addita solutione ammonii oxalici sedimentum album deponit.

Partes 100 Calcii hypochlorosi contineant minimum partes 25 chlori activi. Quapropter decigrammata 5 Calcii hypochlorosi mixta cum solutione e grammate kalii iodati in centimetris cubicis 20 aquae et acidulata cum guttis

20 acidi hydrochlorici minimum centimetra cubica 35·2 solutionis natrii thiosulfurici decinormalis requirant, ut iodum disiunctum plane dispareat.

Servetur in vase vitreo optime clauso et a lucis accessu remoto.

Solutiones Calcii hypochlorosi ne dispensentur nisi filtratae.

Calcium oxydatum.

Eligantur e merce frusta densa quam maxime alba, aquam sitientia, quae dimidia ponderis parte aquae conspersa magnopere fervent et in pulverem dilabuntur; cum 3—4 partibus aquae pultem spissam eformant in acido hydrochlorico nonnisi paulum effervescentem et maxima ex parte solubilem.

Calcium oxysulfuratum.

Rp: **Calcii oxydati**	*partem*	1.
Insperge		
Aquae	*parte*	1.
Calcio oxydato extincto admisce		
Sulfuris depurati	*partes*	2.
Servetur in vase optime clauso.		
Quodsi praescribatur		
Solutio Calcii oxysulfurati (Solutio Vlemingkx)		
Huius miscellae	*partes*	2·5
coque cum		
Aquae	*partibus*	20
ad colaturam	*partium*	10
quam filtra.		

Liquor limpidus, coloris aurantiaci, odoris penetrantis hydrogenii sulfurati; acido hydrochlorico addito sedimentum copiosum sulfuris deponat et hydrogenium sulfuratum exhalet.

Servetur in vitro optime clauso.

Calcium phosphoricum.

Rp: **Calcii carbonici praecipitati**

partes 100.

Solve in

Acidi hydrochlorici concentrati

partibus 300

dilutis cum

Aquae *partibus* 300.

Post extricationem acidi carbonici liquori adde

Aquae Chlori *partes* 50.

Mixtura calefiat donec odor chlori evanuerit; tum digere liquorem addendo

Calcii hydrooxydati *partes* 10

per semihoram, dein filtra.

Filtrato limpido, acido acetico diluto acidulato adde continue agitando solutionem paratam e

Natrii phosphorici *partibus* 360

Aquae fervidae

partium 2000.

Sedimentum inde natum post aliquot horas in linteum humidum collectum aqua elue, donec liquor defluxus acido nitrico acidulatus argento nitrico ne nisi paululum opalescat; tum leniter calefactum sicca et contritum serva.

Pulvis crystallinus albus, levis, in aqua insolubilis, in acido acetico frigido difficulter, in acidis, et hydrochlorico et nitrico dilutis sine effervescentia prompte solubilis.

Solutio aquosa Calcii phosphorici, ope acidi acetici diluti coctione parata (1 = 20), addita solutione ammonii oxalici sedimentum album demittit.

Calcium phosphoricum solutione argenti nitrici humectatum colorem flavum induit.

Solutio ope acidi nitrici parata cum solutione argenti nitrici mixta et caute ammonia neutralisata praecipitatum mere flavum praebeat, quod aqua lotum et in excedente ammonia et in acido nitrico limpide solvatur.

Mixtura e grammate Calcii phosphorici et centimetris cubicis 3 solutionis stanni chlorati inter horam colorem obscuriorem ne accipiat.

Gramma Calcii phosphorici cum grammis 20 aquae conquassatum filtratum praebeat, quod acidulatum acido acetico solutione baryi nitrici ne mutetur.

Solutio aquosa, ope acidi nitrici parata (1 = 20) cum solutione argenti nitrici post minuta 2 summum opalescat et ammonia abunde addita cum ammonio sulfurato sedimentum mere album efficiat.

Partes 100 Calcii phosphorici ignitae ne plus quam partes 26·2 ponderis perdant.

Calcium sulfuricum ustum.

Pulvis amorphus albus.

Pars 1 Calcii sulfurici usti parte dimidia aquae temperata inter minuta 5 durescat.

Servetur in loco sicco.

Camphora.

Cinnamomum Camphora Nees et Ebermaier, arbor in China et Iaponia indigena.

Stearoptenum e partibus arboris dissectis destillatione cum aqua obtentum et sublimatione purgatum prostat in placentis orbicularibus concavo-convexis in medio perforatis.

Substantia granuloso-crystallina alba, in frustulis parvis decolor, diaphana, ponderis specifici temperatura 12° = 0·995, tactu et nitore pinguiusculo, fragilis et friabilis, inter dentes subtenax, saporis aromatici amaricantis, primum cum caloris postea vero frigoris sensu, odoris peculiaris penetrantis, temperatura ordinaria lente quidem sed sine ullo residuo aufugiens, sublimatione praebens crystallos hexagonales nitentes, temperatura 175° liquescens, temperatura 204° ebulliens.

In aqua Camphora vix solubilis, largiter in aethere, chloroformio, carboneo sulfurato et spiritu vini, quibus liquoribus humectata in pulverem redigi potest. Solvitur et in oleis aethereis et pinguibus.

Cantharides.

Lytta vesicatoria Fabricius, insectum in maxima parte Europae obvium coleopterum.

Animalia integra 1·5 fere ad 3 centimetra longa, 5—8 millimetra lata, metallice ex aureo viride splendentia, antennis filiformibus nigris, capite exserto declinato obtuse triquetro subcordato, thorace obtuse tetragono, scutello minuto subrotundo-cordato, elytris oblongis, angustis, laxis, tenuibus, mollibus, in corpore pilis tenerrimis sparsis obsessa, pedibus longis tenuissimis, nigris.

Cantharides sunt odoris penetrantis, gravis, virosi, saporis ab initio parum manifesti, deinde acerrimi.

Combustae ex partibus 100 ne plus quam partes 8 cineris relinquant.

Cantharides apud nos mensibus Iunio et Iulio, potissimum fraxinos, ligustra et syringas gregatim depascentes colliguntur et bene siccatae in vasis optime clausis serventur.

Merx sistat quantum esse potest insecta integra recenter collecta.

Merx vetusta, odoris specifici debilis aut odoris ammoniacalis, splendoris expers vel vix metallici supra descripti reiiciatur.

Capsulae.

I. Capsulae gelatinosae.

Corpuscula cava globosa aut ovalia magnitudinis pisi usque ad magnitudinem fabae maioris et ultra, praeparata e gelatina animali albissima saepe adiecto glycerino et saccharo, destinata ad excipienda medicamenta praesertim liquida.

Capsulae sic dictae operculatae sunt tubuli breves rigidi in una extremitate clausi et rotundati, praeparati e gelatina animali albissima, quorum bini promovendo unum super alterum medicamento expletum in corpusculum singulum rediguntur.

II. Capsulae amylaceae.

Corpuscula plerumque lentiformia, cava ad excipienda medicamenta in pulvere, unumquodque compositum e duabus lamellis disciformibus orbicularibus diametri 1—2·5 centimetrorum, limbo plerumque plano

aqua humectato agglutinatis, paratis e farina subtilissima aut ex amylo tritici, albis vel substantia innocua coloratis.

Sint capsulae odoris et saporis alieni expertes, capsulae gelatinosae pellucidae recentes.

Carbo Ligni depuratus.

Rp: **Carbonis Ligni Pini in frustis** *q. v.*

Excandescat in vase ferreo bene tecto, tum refrigeratum a cineribus depuratum et in pulverem tritum in vase bene clauso repone.

Carbo Ligni pulveratus sit coloris nigri; spiritus vini cum eo conquassatus et filtratus evaporando residuum ne relinquat.

In lamina platinea fervefactus relicta ne nisi exigua quantitate cineris sine flamma comburat.

Carvonum.

Ex oleo aethereo Carvi paratum.

Liquor limpidus decolor aut flavescens, odoris fructus Carvi peculiaris, saporis aromatici acris, ponderis specifici 0·960—0·964, in partibus 2 spiritus vini diluti solubilis; versus 229°—230° ebullit.

Castoreum.

Castor Americanus Cuvier, animal Americam borealem habitans.

Folliculi inter anum et genitalia utriusque sexus positi, exsiccati oblongi vel oblongo-pyriformes, ex latere

compressi, saepe bini inter se coniuncti, superficie plus minusve rugosi nigro-fuscescentes, membranis instructi duabus exterioribus arcte coalitis et difficulter separabilibus, integumentum tenue formantibus et duabus interioribus, lamellatim traiicientibus cavum, repletum massa subresinosa in fractura nitente, coloris e rubro fusci vel e fusco nigri, odoris peculiaris, saporis acri-aromatici, amariusculi, masticando dentibus adhaerente, in spiritu vini et aethere ex magna parte solubili.

100 partes Castorei spiritu vini fervido perfecte extractae ne plus quam partes 40 residui et combustae ne plus quam partes 4 cineris albissimi relinquant.

Catechu.

Acacia Catechu Willdenow, arbor Indiae orientalis.

Extractum aquosum siccum, in India orientali e duramine obscure fusco arboris paratum, sistit massas duras, solidas, fragiles, extrinsecus opacas, asperas, coloris obscure hepatici aut atro-fusci, in fractura conchata resinoso-nitentes, solummodo in particulis exiguis semipellucidas, sub microscopio crystallinas, saporis valde adstringentis, deinde dulciusculi.

Pulvis e griseo fuscus, cum aqua ad ebulliendum fervefactus liquorem turbidum, laccam musci rubefacientem, cum spiritu vini ebulliente solutionem limpidam, coloris e rubro fusci praebet.

Gramma solutionis e parte 1 Catechu in pulvere in partibus 10 spiritus vini ebullientis cum grammis 10 aquae dilutum, additis guttis 2 solutionis ferri sesquichlorati (1 = 100) liquorem coloris viridis exhibet, qui

admixta gutta solutionis kalii hydrooxydati in purpureum aut sanguineum mutatur.

Partes 100 Catechu spiritu vini coquendo perfecte extractae ne plus quam partes 25 residui et eadem quantitas Catechu combusta ne plus quam partes 5 cineris relinquant.

Caules Dulcamarae.

Solanum Dulcamara L., suffrutex scandens indigenus.

Caules biennes aut triennes, primo vere vel sero autumno collecti et siccati, flexuosi, saepe torti, obsolete pentagoni, foliorum cicatricibus alternis notati, 4 ad 8 millimetra crassi, longitudinaliter sulcati et rugosi, plus minusve lenticellis verrucosi, peridermate tenui facile separabili e subviridi vel e subfusco flavo, tenaces, plerumque fistulosi, saporis primum amari, deinde dulcis, diu faucibus inhaerentis.

In sectione transversali caulis observabis corticem angustum coloris viridis et lignum flavidum radiatim striatum, vasis amplis plurimis grosse porosum, vestigia medullae albae includens.

Partes 100 mercis, plerumque scissae obviae, ne minus quam partes 20 extracti aquosi praebeant.

Eadem quantitas mercis combusta ne plus quam partes 6 cineris viridis relinquat.

Cera alba.

Frusta fragilia, in tenuiore strato diaphana, sub manus calore plastica, minime lubrica, ponderis specifici

0·965—0·970; calore circiter 64° liquescant, quin spumam eiiciant vel sedimentum deponant.

Ad formandos globulos, quorum ope pondus specificum examinetur, Cera temperatura quam minima liquefacta guttatim in vitrum spiritum vini continens ingeratur, dein globuli aequaliter rotundati aëre per 24 horas seponantur; quodsi globuli in spiritu vini ponderis specifici 0·955—0·960 temperatura 15° non submerguntur, Ceram adulterinam censeas.

Gramma Cerae albae cum centimetris cubicis 20 spiritus vini per aliquot minuta coctum et per horam refrigerando sepositum, dein filtratum liquorem decolorem praebeat, qui neque chartam exploratoriam caeruleam rubefaciat, nec aqua adiecta valde turbetur.

Gramma Cerae albae cum centimetris cubicis 10 aquae et grammis 3 natrii carbonici ad vehementem ebullitionem coctum, refrigeratione peracta cera supra liquorem ad summum opalescenter turbatum seiungatur.

Grammata 3 Cerae albae cum centimetris cubicis 50 spiritus vini in balneo aquae ad ebullitionem fervefacta, adiectis guttis 10 solutionis phenolphthaleïni 2—2·5 centimetra cubica solutionis kalii hydrooxydati spirituosae seminormalis consumant, donec miscella colorem rubrum induerit. Additis adhuc centimetris cubicis 20 solutionis kalii hydrooxydati spirituosae seminormalis miscella in balneo aquae usque ad perfectam saponificationem cocta 12—12·2 centimetra cubica acidi hydrochlorici seminormalis ad neutralisationem requirat.

Numerus aciditatis sit 18·6—23·3; numerus saponificationis 91·4—97·9.

Cera flava.

Massa flava, frigore fracturae granulosae, parum tenax, sub manus calore mollescens, odoris mellei, ponderis specifici 0·962—0·966, temperatura 63°—64° liquescat.

Gramma Cerae flavae cum centimetris cubicis 20 spiritus vini per aliquot minuta coctum et per horam refrigerando sepositum, tum filtratum liquorem paene decolorem praebeat, qui neque chartam exploratoriam caeruleam rubefaciat, nec aqua adiecta valde turbetur. Ceterum examinanda ut cera alba.

Ceratum Cetacei.

Rp: **Cetacei**
Cerae albae
Olei Sesami — *āā partes* 100.

Miscellam leni calore liquatam effunde in formam tabularum.

Ceratum fuscum.

Rp: **Emplastri Plumbi simplicis** — *partes* 50.

Calefactis sub continua agitatione donec massa e nigro fusca coloretur adde

Cerae flavae — *partes* 20
Axungiae Porci — *partes* 30.

Massam aequabiliter fusam effunde in formam tabularum.

Cetaceum.

Catodon macrocephalus Lacepède et aliae species generum *Catodon* et *Physeter,* incolae praesertim Oceani pacifici.

Pars solida depurata substantiae semiliquidae pinguis sui generis, qua cavernae amplissimae capitis nec non ductus subcutanei dorsales repletae sunt.

Occurrit in massis lamelloso-crystallinis coloris albissimi, conchae unionum instar nitentibus, subpellucidis, tactu lubricis, friabilibus, ponderis specifici 0·93 usque 0·95, calore 45°—50° liquescentibus, fere inodoris et insipidis, in aethere, chlorofomio, carboneo sulfurato nec non in spiritu vini ebulliente solubilibus.

E solutione alcoholica fervida (1 = 50) refrigerando Cetaceum sensim sensimque crystallos deponit; liquor elapsis minime horis 6 decantatus neque chartam exploratoriam mutet nec addita aequali quantitate aquae sedimentum floccosum demittat.

Cetaceum flavum, rancidum reiiciatur.

Charta nitrata.

Rp: **Kalii nitrici**	*partem*	1.
Solve in		
Aquae	*partibus*	5.

Solutione filtrata impraegna chartam bibulam albam, quam sicces.

Charta sinapisata.

Charta bibula plerumque scissa in segmenta quadrangularia longitudinis 12 et latitudinis 8 centimetrorum,

quorum una pagina obtecta est farina Sinapis oleo pingui privata et ope medii agglutinantis fixata.

Ne sit farina Sinapis rancida. Aqua tepida humectata cito odorem olei Sinapis aetherei fortem spargat.

Chininum bisulfuricum.

Crystalli prismaticae albae, nitidae, saporis amari, in aëre paululum fatiscentes. In partibus 10 aquae frigidae lente sed plane, difficilius in spiritu vini solvuntur. Solutio aquosa, reactionis acidae, colore caeruleo fluorescit.

Solutio aquosa diluta, aqua chlori et dein ammonia addita colorem viridem induit, baryo nitrico soluto praecipitatum album, in acidis insolubile deponit; argento nitrico ne turbetur.

Chininum bisulfuricum, acido sulfurico vel acido nitrico concentrato humectatum ne coloretur.

Chininum sulfuricum e solutione Chinini bisulfurici aquosa exacta neutralisatione praecipitatum exploretur quoad caetera alcaloida corticis Chinae eodem modo, qui sub articulo: „Chininum sulfuricum“ praescriptus est.

Chininum bisulfuricum exsiccando temperatura 100° ne plus quam partes 23 perdat et comburat residuo non relicto.

Servetur in vase a luce remoto.

Chininum hydrochloricum.

Crystalli aciculares albae, nitoris sericei, saporis amari, in aquae partibus circiter 34, facilius in

spiritu vini nec non in chloroformio solubiles. Solutio aquosa, reactionis neutrius, non fluorescit, addita aqua chlori et ammonia colorem viridem trahit, cum argento nitrico praecipitatum album efficit, ita quidem, ut decigrammata 2 salis in centimetris cubicis 10 aquae soluta, adiectis aliquot guttis acidi nitrici centimetra cubica 5 solutionis argenti nitrici decinormalis consumant, ut liquor ad ebullitionem calefactus et tum filtratus nec argento nitrico nec acido hydrochlorico aliquanto plus turbetur.

Solutio aquosa Chinini hydrochlorici (1 = 50), acido hydrochlorico acidulata nec baryo nitrico nisi minime turbetur, nec acido sulfurico diluto mutetur.

Centigrammata 5 Chinini hydrochlorici cum guttis 10 acidi sulfurici et gutta acidi nitrici mixta colorem rubroflavum ne accipiant.

Grammata 5 Chinini hydrochlorici in mortario calefacto centimetris cubicis 50 aquae temperatura 60° solvuntur; solutioni adiice grammata 2·5 natrii sulfurici contriti non dilapsi; dein massa aequaliter subacta continuo agitando refrigeratur, per semihoram temperatura 15° seponitur et filtratur. Centimetra cubica 5 huius filtrati ad summum requirant centimetra cubica 4 ammoniae, ut sedimentum primo enatum rursus ex integro solvatur.

Gramma Chinini hydrochlorici calore 100° siccati ne plus quam centigrammata 9 ponderis perdat.

Chininum hydrochloricum comburat residuo non relicto.

Chininum sulfuricum.

Crystalli aciculares, tenuissimae, molles, sericeo-nitentes, saporis valde amari, in aëre sicco fatiscentes, in aëre humido humorem attrahentes. In spiritus vini fervidi partibus 6, in aquae fervidae partibus 25, in frigidae partibus circiter 800 solvuntur.

Solutio aquosa, reactionis neutrius ne vero acidae gutta acidi sulfurici admixta, colore caeruleo fluorescit.

Quodsi solutioni aquosae, frigide saturatae, paululum aquae chlori ac dein ammoniam instillaveris color viridis enascitur. Solutio aquosa baryo nitrico admixto sedimentum album, in acidis insolubile demittit, argento nitrico ne mutetur.

Chininum sulfuricum nec acido sulfurico nec acido nitrico concentrato humectatum coloretur.

Gramma salis in centimetris cubicis 7 mixturae e volumine 1 spiritus vini absoluti et voluminibus 2 chloroformii compositae temperatura 40°—50° solutum liquorem praebeat, qui vel refrigeratus plane limpidus permaneat.

Grammata 5 Chinini sulfurici exsiccati infundantur centimetris cubicis 50 aquae et continuo agitando calefiant in balneo aquae ad temperaturam 60°—65°. Miscella seponatur per dimidium horae, dein in aquam frigidam immersa per horas 2 continuo agitando ad 15° refrigeretur, tum filtro sicco filtretur. Liquoris filtrati centimetra cubica 5 ad summum requirant centimetra cubica 4 ammoniae, ut sedimentum primo enatum rursus ex integro solvatur.

Gramma Chinini sulfurici calore 100° siccati ne plus quam centigrammata 15 perdat.

In lamina platinea sine residuo comburat.

Chininum tannicum.

Rp:	**Chinini sulfurici**	*partes*	40
	Acidi sulfurici diluti	*partes*	67
	Aquae	*partes*	1200.

Solutioni filtratae continuo agitando admisce solutionem ex

Acidi tannici	*partibus*	80
Aquae	*partibus*	560

tum solutionem ex

Acidi tannici	*partibus*	20
Aquae	*partibus*	320
Ammoniae	*partibus*	20.

Elapsis horis 12 praecipitatum ortum in filtro collectum superfunde cum

Aquae	*partibus*	400

et leniter exprime.

Praecipitatum expressum fervefac cum

Aquae	*partibus*	200

donec in massam subflavam resinosam licuerit, sicca primum temperatura 30°—40°, tandem 100°, contere massam induratam in pulverem et serva a luce remotam.

Pulvis griseo-albus vel flavescens, inodorus, saporis adstringentis amariusculi. Solvitur in 30 circiter partibus aquae bullientis, in 800 frigidae, facile in spiritu vini. Pulvis cum aqua calefactus conglobatur.

Solutio aquosa ferro sesquichlorato soluto colorem atramentaceum induit. Solutio spirituosa, digestione cum plumbo acetico basico soluto ab acido tannico et tum acido sulfurico diluto a plumbo excedente liberata liquorem filtratum praebeat, qui spiritu vini evaporato cum aqua chlori succedente ammonia colorem viridem induit.

Extractum aquosum Chinini tannici ope acidi nitrici conquassando et dein filtrando paratum (1 = 50) solutione neve argenti nitrici neve baryi nitrici statim turbetur.

Quodsi gramma Chinini tannici cum centimetris cubicis 4 aquae mixtum, adiecto natrio hydrooxydato ad reactionem miscellae fortiter alcalinam ternis vicibus cum centimetris cubicis 7 aetheris conquassaveris, aether seiunctus et collectus evaporando residuum relinquat, quod temperatura 100° siccatum minime decigrammata 3 chinini sistat.

Chininum modo descripto e Chinino tannico elaboratum in spiritu vini solutum, exacte cum acido sulfurico diluto neutralisatum et dein evaporando in chininum sulfuricum transformatum praescriptionibus pharmacopoeae respondeat.

Decigrammata 2 Chinini tannici comburant residuo non relicto.

Servetur a luce remotum.

Chloralum hydratum.

Crystalli decolores pellucidae, in aëre persistentes, reactionis neutrius vel fere neutrius, odoris peculiaris aromatici, saporis acerbi subamari caustici, in aqua, spiritu vini et aethere facile solubiles, calore 58° liquescentes.

Solutio aquosa kalio hydrooxydato soluto adiecto turbetur; chloroformio succedente rursus fit limpida.

Solutio e grammate Chlorali hydrati in centimetris cubicis 10 spiritus vini chartam exploratoriam caeruleam siccando demum leniter rubefaciat et adiecta solutione argenti nitrici ne statim mutetur.

Decigrammata 5 Chlorali hydrati cum centimetris cubicis 5 acidi sulfurici in tubo probatorio epistomeo vitreo clauso saepius conquassata intra horam acidum sulfuricum ne colorent.

Decigrammata 2 Chlorali hydrati in patina in balneo aquae fervefacta vapores inflammabiles ne emittant et sine residuo avolent.

Servetur in vase luci impervio, in loco sicco.

Chloroformium.

Liquor limpidus decolor, volatilis, odoris specialis, saporis subdulcis, ponderis specifici 1·485—1·49, calore 60°—62° ebulliens, in aqua perpaulum, in spiritu vini, aethere et oleis pinguibus facile solubilis.

Chloroformium e palma manus celeriter avolet nec odorem animam intercludentem vel empyreumaticum vel fermentolei similem relinquat; cum duplice volumine aquae conquassatum aqua nec solutionem laccae musci rubefaciat, nec solutionem argenti nitrici turbet. Cum solutione aquosa kalii iodati quassatum colorem violaceum ne induat; cum aequali volumine acidi sulfurici concentrati in tubo probatorio probe siccato conquassatum intra horam decolor permaneat.

Servetur in lagena optime clausa a luce remota.

Chloroformium pro narcosi.

Liquor limpidus decolor, volatilis, odoris peculiaris, saporis subdulcis, in aqua perpaulum, in spiritu vini,

aethere et oleis pinguibus facile solubilis, ponderis specifici 1·485—1·49, calore 60°—62° ebulliens.

Aqua cum voluminibus 2 Chloroformii pro narcosi conquassata neque chartam caeruleam rubefaciat neque solutionem argenti nitrici volumine aequali aquae dilutam caute superinfusam turbet.

Conquassando Chloroformium pro narcosi cum liquore amyli cum zinco iodato ne chloroformium colore violaceo neve liquor amyli colore caeruleo inficiatur.

Charta bibula Chloroformio pro narcosi imbuta evaporato chloroformio odorem ne praebeat. Centimetra cubica 20 Chloroformii pro narcosi cum centimetris cubicis 15 acidi sulfurici concentrati in lagena antea acido sulfurico concentrato eluta, epistomio vitreo clausa saepius conquassata inter horam acidum sulfuricum ne colorent.

Frusta kalii hydrooxydati recenter tusi cum Chloroformio pro narcosi in lagena epistomio vitreo optime clausa conquassata intra horas 12 colorem subflavum ne accipiant.

Servetur in lagenis voluminis centimetrorum cubicorum 75 epistomio vitreo optime clausis a luce remotis.

Renovetur minimum intra annum.

Cinnamalum.

Ex oleo aethereo Cinnamomi obtentum aldehydum.

Liquor limpidus, flavus, odoris et saporis Cinnamomi peculiaris, ponderis specifici 1·054—1·056, in spiritu vini quavis proportione solubilis.

Guttae nonnullae Cinnamali, cum aequali volumine acidi nitrici concentrati refrigerando mixtae in massam flavam crystallinam abeunt, quae aqua partim solvitur secedente oleo flavo.

Solutio spirituosa (1 = 50) addita gutta ferri sesquichlorati soluti ne mutetur.

Centimetra cubica 2 Cinnamali, cum aequali volumine solutionis natrii hydrosulfurosi (3 = 10) mixta et in balneo aquae calefacta in massam solidam abeunt, quae durante calefaciendo additis sensim sensimque centimetris cubicis 22 huius solutionis plane solvatur.

Cocaïnum hydrochloricum.

Crystalli speciosae, vitri instar nitentes, decolores diaphanae, saporis subamari, indolentiam linguae brevi tempore persistentem cientes, in aqua, spiritu vini et chloroformio facile solubiles, reactionis fere neutrius, 183° versus liquescentes.

In solutione aquosa, acido hydrochlorico acidulata solutio hydrargyri bichlorati praecipitatum album, solutio iodi praecipitatum fuscum, kalium hydrooxydatum praecipitatum album, in spiritu vini et in aethere facile solubile efficit; in solutione aquosa, acido nitrico acidulata solutio argenti nitrici praecipitatum album in ammonia solubile gignit.

Miscella ex aequalibus partibus Cocaïni hydrochlorici et hydrargyri bichlorati parata cum spiritu vini humectata nigrescit. Solutio concentrata cum gutta solutionis kalii hypermanganici (1 = 100) mixta statim sedimentum microcrystallinum violaceum cocaïni hypermanganici deponit.

Decigramma Cocaïni hydrochlorici, in tubo probatorio cum centimetro cubico acidi sulfurici concentrati per 5 minuta temperatura circiter 100° fervefactum, caute adiectis centimetris cubicis 2 aquae odorem aetheris benzoati emittit; miscella refrigerata crystallos copiosas deponit, in centimetris cubicis 2 aetheris solubiles.

In solutione e centigrammis 5 Cocaïni hydrochlorici in centimetris cubicis 5 aquae solutio acidi chromici (1 = 3) guttatim adiecta praecipitatum efficit, quod agitando miscellae solvitur, sed addito centimetro cubico acidi hydrochlorici rursus enascitur.

Centigrammata 10 Cocaïni hydrochlorici in centimetro cubico acidi sulfurici vel in centimetro cubico acidi nitrici solvantur, quin colorentur.

Centigrammata 10 Cocaïni hydrochlorici in centimetris cubicis 5 aquae, additis guttis 3 acidi sulfurici diluti soluta liquorem praebeant, qui guttis 5 solutionis kalii hypermanganici (1 = 1000) adiectis colorem rubrum per horam haud deficientem induat.

Solutio e centigrammis 10 Cocaïni hydrochlorici et centimetris cubicis 85 aquae additis centimetri cubici 0·2 ammoniae cum bacillo vitreo fortiter agitando et parietem vasis terendo praecipitatum floccoso-crystallinum exhibeat, quin lactescenter turbetur.

Cocaïnum hydrochloricum temperatura 100° fervefactum ne quid ponderis perdat, neve combustum residuum relinquat.

Codeïnum hydrochloricum.

Pulvis crystallinus albus, saporis amari, calefactus in aëre sine residuo deflagrans.

In aqua frigida difficulter, in aqua ebulliente facile, in spiritu vini difficilius solvitur. Solutio aquosa est reactionis neutrius.

In solutione Codeïni hydrochlorici aquosa argentum nitricum solutum sedimentum album caseosum, in ammonia facile solubile efficit.

Centigramma Codeïni hydrochlorici cum centimetris cubicis 10 acidi sulfurici concentrati calefactum solutionem decolorem, cum acido sulfurico concentrato, quod in centimetris cubicis 100 guttam ferri sesquichlorati soluti continet, solutionem violaceam producit.

Solutio aquosa Codeïni hydrochlorici cum acido nitrico acidulata, addita solutione baryi nitrici ne statim turbetur.

Centimetrum cubicum solutionis Codeïni hydrochlorici aquosae saturatae ne statim trahat colorem caeruleum addita mixtura e granulo kalii ferricyanati in centimetris cubicis 10 aquae et gutta ferri sesquichlorati soluti.

Coffeïnum.

Crystalli aciculares longae, flexibiles, nitoris sericei, decolores, calefactae liquescunt et sine residuo evaporant; facile solvuntur in aqua fervida, difficulter in frigida, facilius in chloroformio, minus facile in spiritu vini, parum in aethere. Solutio aquosa, reactionis neutrius, est saporis subamari.

Coffeïnum, in aqua chlori solutum, solutione in balneo aquae exsiccata residuum e rutilo flavum exhibet, quod vaporibus ammoniae expositum aut ammonia humectatum in colorem purpureum transit.

Acido sulfurico concentrato humectatum Coffeïnum ne coloretur.

Coffeïnum Natrio-benzoicum.

Pulvis amorpho-crystallinus albus, aut massa granulosa alba, odoris expers, saporis subamari, facile solubilis in aqua, difficilius in spiritu vini; solutio aquosa reactionem neutram exhibet.

Coffeïnum Natrio-benzoicum, in tubulo exploratorio caute calefactum emittit nebulas albas, quae statim in crystallos tenuissimas concrescunt; in lamina platinea combustum residuum relinquit, quod flammam colore flavo tingit.

In solutione aquosa Coffeïni Natrio-benzoici ferrum sesquichloratum solutum sedimentum coloris subrubroflavi deponit, quod adiecto acido hydrochlorico solvitur in spiritu vini.

Coffeïnum Natrio-benzoicum, in lamina platinea candefactum relinquat residuum album in aqua plane et facile solubile. Solutio aquosa huius residui nec acido hydrochlorico et baryo chlorato soluto, nec acido nitrico et argento nitrico soluto nisi minime turbetur. Solutio residui in acido hydrochlorico nec aqua hydrosulfurata, nec tum ammonia mutetur.

Gramma Coffeïni Natrio-benzoici cum chloroformio plane exhaustum, evaporato chloroformio minime centigrammata 40 coffeïni relinquat.

Collemplastrum adhaesivum.

Rp:	**Olei Resinae empyreumatici**	*partes*	6
	Resinae elasticae depuratae concisae	*partes*	10
	Aetheris Petrolei	*partes*	45.

Stent in lagena optime obturata saepius agitando per aliquot dies usque ad solutionem miscellae.

Massae solutae adde miscellam aequabilem antea paratam e

Balsami Copaïvae		
Resinae Colophonii	*āā partibus*	4
Adipis Lanae		
Cerae flavae		
Resinae Sandaraca	*āā partibus*	2
Radicis Iridis (VI)	*partibus*	9
Aetheris	*partibus*	16.

Conquassa saepius, ut fiat massa perfecte aequabilis, quam extendas accuratissime supra linteum, aetherem evaporando temperatura ordinaria.

Collemplastrum salicylatum.

Rp: **Acidi salicylici**	*partes*	4
subtiliter contritas cum		
Aetheris Petrolei	*partibus*	20
Massae Collemplastri adhaesivi	*partes*	100.

Misce in lagena saepius agitando et massam perfectam supra linteum extende accuratissime, temperatura ordinaria aetherem evaporando.

Pars 1 Collemplastri salicylati decimam partem acidi salicylici contineat.

Collodium.

Liquor syrupi consistentiae decolor, limpidus, aetherem redolens, paratus solvendo gossypium collodicum in miscella ex aethere et spiritu vini.

In stratum tenue illinitus, aëre cito exsiccatus cuticulam arcte cohaerentem relinquit.

Sit collodium reactionis neutrius.

Temperatura 100° evaporatum et siccatum minime 2 centesimas partes residui relinquat.

Collodium elasticum.

Rp:	**Collodii**	*partes*	98
	Olei Ricini	*partes*	2.

Misce.

Collyrium adstringens luteum.

Rp:	**Zinci sulfurici**	*partes*	5
	Ammonii chlorati	*partes*	2.
	Solve in		
	Aquae	*partibus*	890.
	Adde		
	Camphorae	*partes*	2
	solutas in		
	Spiritus Vini diluti	*partibus*	100.
	Adde		
	Florum Croci	*partem*	1.

Macera saepius agitando per 24 horas, tum filtra.

Liquor limpidus, coloris flavi, redolens camphoram et spiritum, saporis adstringentis.

Cortex Cascarillae.

Croton Eluteria Bennett, frutex arborescens in insulis Antillanis, praesertim Bahamensibus.

Cortex trunci et ramorum siccatus sistit fragmenta convoluta aut canaliculata, plerumque minus quam decimetrum longa et centimetrum lata, 1—2 millimetra crassa, peridermate tenui, extus vulgo candicante, rimis decussatis sulcato, saepe iam partim delapso, cortice locis denudatis coloris e griseo vel subviridi fusci rimoso aut longitudinaliter rugoso, fractura aequali, odoris peculiaris aromatici, saporis amari et aromatici.

In sectione transversa Cortex exhibet endophloeum subtilissime striatum radiis in figuras cuneatas congestis.

Ope microscopii exploratus Cortex Cascarillae eminet: cellulis peridermatis polygonis membrana partim inaequaliter incrassata, instructis crystallulis simplicibus calcii oxalici; parenchymate e cellulis sat parvis, quae continent aut amylum in granulis simplicibus et compositis, aut crystallos calcii oxalici et simplices et stellatas, aut oleum aethereum aut massam amorpham coloris ex aurantiaco vel e rubro fusci, quae addita solutione ferri sesquichlorati colorem profunde caeruleum ducit; fibris libri primariis partim difformibus, margine denticulatis, non raro arcuatis membrana valde incrassata, per longitudinem dense minutim striata et in sectione transversali stratis concentricis ornata; vasis cribrosis copiosis, instructis pulvillis callosis valde perspicuis.

Partes 100 Corticis ne minus quam partes 15 extracti spirituosi praebeant. Eadem quantitas combusta ne plus quam partes 10 cineris e fusco grisei relinquat.

Ligni fragmenta merci intermixta ante usum removeantur.

Cortex Chinae.

Cinchonae species cultae, imprimis *Cinchona succirubra* Pavon.

Frusta convoluta 3—4 decimetra et ultra longa, 2—4 millimetra crassa, dura, fragilia fractura aequali aut breviter subfibrosa, in latere exteriore peridermate tenui albo-griseo aut griseo-subfusco, grosse longitudinaliter rugoso et saepe transverse rimoso obtecta, sub peridermate fusca, in latere interiore cinnamomea aut fusco-rubra subtiliter per longitudinem striata, saporis amari et adstringentis.

Ope microscopii Cortex Chinae dignoscendus est fibris libri plerumque fusiformibus sat brevibus perfecte incrassatis, quae subradiatim per endophloeum dispersae et membrana in sectione transversa stratis concentricis signata instructae sunt; tubis cylindricis laticiferis amplis in parte intima mesophloei; parenchymate e cellulis instructis membrana plerumque flavida aut rubro-fusca, amylum in granis compositis et massam amorpham, addita solutione ferri sesquichlorati colorem olivaceum ducentem continentibus; utriculis copiosis repletis pulvere crystallino calcii oxalici.

100 partes Corticis Chinae ne minus quam partes 15 extracti aquosi exhibeant. Eadem quantitas combusta ne plus quam partes 6 cineris relinquat.

Cortex Chinae, ratione subsequente examinatus, in partibus 100 ne minus quam partes quinque (5) alcaloidorum propriorum praebeat.

Grammata 6 Corticis Chinae in pulvere (VI) temperatura 100° siccato extrahe in lagena cum grammis 60 miscellae e partibus 3 aetheris et parte 1 chloroformii

admixtis grammis 3 ammoniae et grammis 10 aquae, saepius conquassando per horas 12. Tum adde sensim sensimque tantum aquae — sed ad summum grammata 5 — et si opus fuerit pulveris Tragacanthae gramma 1, ut pulvis fortiter conquassatus perfecte conglobetur et solutio aethereo-chloroformica supraposita plane evadat limpida. Elapsa hora sepositionis filtra huius solutionis grammata 50 per filtrum optime tectum in infundibulum separatorium et exquassa ternis vicibus cum centimetris cubicis denis aquae acido hydrochlorico acidulatae. Solutiones aquosas collectas exquassa in infundibulo separatorio, addita solutione natrii hydrooxydati alcalinas factas vicibus sequentibus cum centimetris cubicis 20, 10 et 5 chloroformii. E solutionibus chloroformicis collectis in patina parva vitrea amove chloroformium ope balnei aquae, residuum sicca temperatura 100° et trutina examina.

Eius pondus sit minime centigrammatum 25 respondens partibus centesimis 5 alcaloidorum Corticis.

Cortex Cinnamomi.

Cortex Cinnamomi Ceylanici.

Cinnamomum Ceylanicum Breyne, arbusculus praesertim cultus in insulis Ceylan et Iava.

Cortex e ramulis potissimum bimulis detractus, a peridermate et a maxima parte mesophloei radendo liberatus et siccatus.

Occurrit sub forma baculi teretis circiter metrum longi et 8—10 millimetra in diametro, compositi e segmentis corticis compluribus circiter 30 centimetra longis,

quae invicem convoluta et in baculum supraposita sunt.

Frusta corticis, circiter millimetrum dimidium crassa, exhibent faciem externam laevem glabram, coloris flavido-fusci, per longitudinem ornatam striis albidis nec non fracturam breviter subfibrosam. Odoris sunt peculiaris grate aromatici, saporis acre-condimentarii, dulciusculi et leniter mucilaginosi, vix adstringentis.

Ope microscopii observabis imprimis stratum extremum continuum e cellulis sclerenchymaticis, partim inaequaliter incrassatis et grana amyli continentibus, fibras libri secundarias fusiformes complete incrassatas per endophloeum subradiatim dispersas, utriculos copiosos oleo aethereo, partim mucilagine repletos in parenchymate amylum compositum gerente.

100 mercis partes ne minus quam 10 partes extracti spirituosi exhibeant. Eadem quantitas combusta ne plus quam partes 5 cineris albi relinquat.

Cortex Condurango.

Marsdenia Condurango Reichenbach fil., frutex scandens Andium Americae aequatorialis.

Cortex trunci ramorumque siccatus occurrit in frustis convolutis et canaliculatis levibus, 1—3 centimetra latis, 1—5 millimetra crassis, obtectis peridermate griseo-subfusco aut fusco, longitudinaliter rugoso aut in validioribus verrucoso-rimoso, subsquamoso vel subtessellato, in latere interiore griseo-subfuscis grosse per longitudinem striatis, in fractura fibrosis aut subgranulatis, in sectione transversa albidis, maculis aut punctis flavo-

fuscis ornatis et in intima parte vix manifeste radiatim striatis. Saporis est cortex subamari.

Ope microscopii exploratus Cortex Condurango excellit: vasis lactiferis dichotomis membrana satis crassa ubique in parenchymate amylo composito feto; cellulis sclerenchymaticis copiosis plerumque obsolete polyedris, membrana plus minusve incrassata, agglomeratis in grumis et restibus; vasis cribrosis copiosissimis lamina cribrosa valde manifesta instructis; crystallis calcii oxalici permultis stellatis, rarius simplicibus, quibus strata parenchymatis subperidermalis abundant. Fibrae libri longae, membrana valde crassa, sed minus rigida, observantur solummodo in exteriore parte endophloei in fasciculis laxis. In pulvere Corticis occurrunt plerumque earum fragmenta saepe infracta aut subgeniculata, hinc inde inflata, in superficie saepe passim transverse vel oblique striata aut rimosa.

Infusum Corticis Condurango aquosum (1 = 5) frigide paratum limpidum calefactum turbatur, sed refrigeratum denuo limpidum evadit. Decoctum Corticis Condurango ne coletur nisi refrigeratum.

100 partes Corticis ne minus quam partes 15 extracti spirituosi exhibeant. Eadem quantitas Corticis ne plus quam partes 10 cineris albi relinquat.

Cortex Frangulae.

Rhamnus Frangula L., frutex indigenus.

Cortex trunci et ramorum siccatus in tubis ad 3 decimetra longis, circiter millimetrum crassis, levibus, peridermate facile separabili extrinsecus coloris e griseo

fusci, subnitido, subtiliter per longitudinem rugoso et lenticellis albidis plerumque transverse porrectis instructo, in superficie interna laevibus e rubro fuscis, in fractura tenacibus, fibrosis, flavis. Saporis est Cortex subamari, salivam colore flavo tingens.

Microscopio exploratus Cortex in sectione transversali exhibet sub peridermate coloris e fusco rubri mesophloeum viride-flavum et endophloeum flavidum, striatum radiis medullaribus plerumque biserialibus et radiis libri cum fasciculis e fibris maxime incrassatis, instructis strato membranae externo luteo, radiatim dispositis et alternantibus cum parenchymate et vasis cribrosis. In mesophloeo Corticis iunioris observantur cavernae amplae mucilagine repletae. Cortex caret plerumque ex toto cellulis sclereideis. Crystalli calcii oxalici et simplices et stellatae copiosae reperiuntur, haec maxima ex parte in parenchymate, illae in fibris leptodermis loculatis fasciculos fibrarum libri circumvaginantibus.

Cum kalio hydrooxydato soluto Cortex liquorem coloris intense sanguinei praebet.

Infusum Corticis aquosum (1 = 10), coloris fusco-aurantiaci, addita solutione diluta ferri sesquichlorati colorem profunde rubro-fuscum accipit.

100 partes Corticis Frangulae ne plus quam partes 5 cineris relinquant.

Cortex Frangulae ne adhibeatur nisi minime per annum sepositus.

Cortex Granati.

Punica Granatum L., arbor in Oriente spontanea, in Europa meridionali culta.

Cortex trunci et ramorum siccatus sistit frusta convoluta et canaliculata usque ad 2 decimetra longa, 1—2 millimetra crassa, levia, fragilia, in fractura aequali subflava, in latere exteriore subgrisea, per longitudinem rugis suberinis elevatis flavo-fuscis traiecta et plerumque apotheciis parvis nigris residuisque thalli lichenum instructa, in latere interiore laevia, flava aut rubro-fusca, in sectione transversa sub lente lineis tenerrimis tessellata.

Cortex radicis etiam adhibendus, saepius admixtus cortici trunci ramorumque in mercatura occurrens dignoscendus est frustis plerumque minoribus subplanis, non raro recurvatis et saepe assula ligni adhaerente instructis, in latere exteriore fuscis, asperis, plane vestigiis lichenum carentibus, singulis validioribus praeditis depressionibus subconchoideis per exfoliationem suberis ortis. Saporis est Cortex adstringentis subamari.

Ope microscopii observabis in sectione transversa endophloeum, maximam sectionis partem sistens, valde regulariter constructum e radiis medullaribus uni- aut biserialibus et radiis libri e parenchymate cum vasis cribrosis et cellulis crystallos stellatas calcii oxalici includentibus in stratis transversis alternantibus. Loco fibrarum libri praestant solum in extrema parte endophloei et in adiacente mesophloeo elementa saepe permagna, breviter fusiformia aut irregulariter polymorpha, complete aut fere complete incrassata, in sectione transversali plerumque forma ovali, stratis con-

centricis ornata, saepe circumdata cellulis, quarum singulae crystallum simplicem calcii oxalici continent. Cellulae parenchymatis sat parvae repletae sunt granis pusillis amyli et substantia amorpha, quae addita solutione ferri sesquichlorati sicut membrana cellularum primaria colorem intense caeruleum trahit. Periderma sistit magna ex parte cellulas polygonas aut polymorphas membrana introrsum magis incrassata et hic stratis porisque notata.

Infusum Corticis Granati cum aqua frigida (1 = 100) adiectis guttis 2 acidi hydrochlorici paratum, liquorem subcitrinum praebet, qui admixta aequali parte aquae calcis sedimentum floccosum coloris e fusco aurantiaci demittit; sedimento deposito liquor restans fere decolor est. Solutione ferri sesquichlorati admixta infusum colorem e nigro caeruleum accipit.

100 partes Corticis ne minus quam partes 20 extracti spirituosi praebeant. Eadem quantitas combusta ne plus quam partes 10 cineris albi aut subgrisei relinquat.

Cortex Quebracho.

Aspidosperma Quebracho blanco Schlechtendal, arbor frequens in provinciis occidentalibus Argentinae.

Cortex trunci siccatus occurrit in frustis magnis ad 3 centimetra crassis, subplanis, duris, ponderosis, obtectis rhytidomate validissimo, rimis hiantibus profundis saepe tessellatim lacerato coloris flavo-fusci, extus passim albicantis, in latere inferiore longitudinaliter striato plerumque clare e rubicundo aut e flavo fusci, fractura grosse granulata. Saporis est Cortex amari.

In sectione transversa apparent strata duo: rhytidomatis et endophloei, illud plerumque coloris clarioris flavo-fusci, hoc obscurioris rubro-fusci, utraque crassitudine fere aequali, maculis albidis confertis partim transverse in ordinem dispositis instructa. Sectio longitudinalis lineis grossis illis maculis respondentibus per longitudinem striata est.

Ope microscopii exploratus Cortex Quebracho praecellit fibris libri validis complete incrassatis fusiformibus, in sectione transversa plerumque orbicularibus, singulis arctissime cinctis cellulis parvis leptodermis crystallo simplice calcii oxalici praeditis. Fibrae libri sunt solitariae aut impositae parenchymati endophloei, amylum in granulis simplicibus et compositis gerente, aut circumdatae cellulis sclerenchymaticis plerumque obsolete polyedris aut elongatis plus minusve incrassatis.

100 partes Corticis ope spiritus vini diluti (1 = 4) exhaustae ne minus quam partes 4 extracti praebeant. Eadem quantitas combusta ne plus quam partes 10 cineris albi aut griseo-albi relinquat.

Cortex Quercus.

Quercus pedunculata Ehrhart et *Quercus sessiliflora* Smith, arbores indigenae notissimae.

Cortex e truncis iunioribus vere, ante foliorum evolutionem detractus et siccatus tenax, 1—2 millimetra crassus, in superficie externa laevis, peridermate tenuissimo coloris e cano argentei vel cinereo-fusci nitente obtectus, in superficie interna longitudinaliter

striatus, coloris fuscescentis vel fusco-rubentis, fractura in parte interiore lamelloso-fibrosa, in segmento transverso sub peridermate mesophloeo viridescente, separato ab endophloeo pallide rubescente, angustissime tessellato strato continuo e cellulis sclerenchymaticis.

Saporis est Cortex valde adstringentis. Solutione ferri sesquichlorati diluta humectatus induit colorem profunde caeruleum.

In mercatura vulgari occurrit scissus.

Ope microscopii observatur praesertim: stratum e cellulis sclerenchymaticis polymorphis et e fibris libri primariis in extrema endophloei regione; endophloeum ipsum fasciculis e fibris libri secundariis longis angustis, plerumque plus minusve irregulariter nodosis et versus extremitates acutis aut acuminatis denticulatis, comitatis fibris loculatis leptodermis, singulis crystallo parva simplice calcii oxalici instructis; parenchyma e cellulis sat parvis massa amorpha repletis, quae solutione ferri sesquichlorati colorem profunde caeruleum induit, solutione kalii hydrooxydati colore e fusco rubro solvitur. In parenchymate reperiuntur etiam cellulae numerosae continentes crystallum calcii oxalici aut stellatam aut simplicem; amylo Cortex ex toto caret.

100 partes Corticis ne plus quam partes 10 cineris relinquant.

Cortex Quillaiae.

Quillaia Saponaria Mollina, arbor in Peruvia et Chile crescens.

Cortex trunci a rhytidomate liberatus et siccatus. Frusta plana usque ad aliquot decimetra longa, ad

10 centimetra lata et 3—4 millimetra crassa, in latere exteriore per longitudinem grosse striata et saepe rimosa coloris albidi aut fusci, in latere interiore sublaevia, coloris e fuscescente albidi aut e rubicundo subfusci, in fractura grosse assulatim fibrosa et pulverem emittentia, qui sternutamentum movet. Sub lente observantur in fractura crystalli prismaticae nitentes calcii oxalici.

Sectio transversa Corticis, coloris albidi vel subflavescentis, signata est fasciculis fibrarum fuscescentibus transversaliter et radiatim dispositis.

Cortex est odoris expers, saporis mucilaginosi et acris. In mercatura vulgari occurrit plerumque concisus in frustulis planis coloris iam descripti.

In pulvere subtili Cortîcis Quillaiae coloris rubicundulo-albidi ope microscopii observantur praecipue fibrae libri valde incrassatae, mirum in modum irregulariter formatae polymorphae, nodosissimae, denticulatae, saepe arcuatae aut flexuosae plerumque in fragmentis earumque fasciculi comitati cellulis sclerenchymaticis et parenchymatosis et elongatis baculaeformibus aeque ac cellulis dispositis per longitudinem, singulis membrana tenuissima et crystallo plus minusve longa prismatica calcii oxalici instructis. Ubique in pulvere haec crystalli earumque fragmenta praeter amylum in granulis simplicibus et compositis reperiuntur.

Pulvis Corticis cum aqua conquassatus spumam copiosissimam movet. 100 eius partes ne plus quam partes 10 cineris relinquant.

Cortex Rhamni Purshiani.

Cascara sagrada.

Rhamnus Purshianus DC., frutex arborescens Americae septemtrionalis.

Cortex trunci et ramorum siccatus occurrit in frustis canaliculatis et convolutis ad 2 centimetra amplis, ad 2 millimetra crassis, in latere exteriore fuscis aut griseo-fuscis, sublaevibus, passim peridermate tenuissimo cinereo-albo subnitido, saepe apotheciis atris punctato obtectis, in latere interiore e nigricante cinnamomeis, tenuiter per longitudinem striatis, in fractura breviter fibrosis, in sectione transversa coloris fusco-flavi, libro delicatissime radiatim lineato. Saporis est subamari.

Microscopio exploratus Cortex Rhamni Purshiani differt a cortice Frangulae imprimis grumis et restibus e cellulis sclerenchymaticis polymorphis sparsis per mesophloeum et partem exteriorem endophloei nec non radiis medullaribus plerumque triserialibus.

100 partes Corticis ope spiritus vini diluti (1 = 2) exhaustae ne minus quam partes 20 extracti praebeant. Eadem Corticis quantitas combusta ne plus quam partes 6 cineris relinquat.

Cortex Viburni.

Viburnum prunifolium L., frutex aut arbusculus Americae borealis.

Cortex trunci ramorumque siccatus.

Frusta convoluta, canaliculata et subplana plerumque 2—3 centimetra longa, raro longiora, 1—3 centimetra

lata, 1—3 millimetra maxime ne plus quam millimetrum crassa, in latere exteriore communiter variegata e griseo vel e nigricante fusca, partim albida aut subglauca, lenticellis orbicularibus aut transverse porrectis coloris e flavido albidi instructa aut dense verruculoso-subsquamata aut peridermate reticulatim lacerato obtecta, in latere interiore e rubro aut e flavido fusca, plerumque dense per longitudinem minutim striata, in fractura subaequalia aut grosse granulata, in sectione transversa albida, punctis et maculis coloris ex aurantiaco fusci ornata. Odoris est Cortex nauseosi subcoriarii, saporis adstringentis amariusculi.

Ope microscopii observabis in parte extrema endophloei, in frustis corticis validioribus proxime sub rhytidomate fibras libri primarias valde incrassatas, plerumque fusiformes solitarias et in fasciculos laxos disiectas; cellulas numerosas sclerenchymaticas polymorphas et isodiametricas et elongatas, membrana valde incrassata in nidis et restibus frequentissimis; parenchyma e cellulis membrana subcollenchymatica instructis, repletis granulis amyli et substantia tannica nec non vasa cribrosa plasmate oleoso; cellulas copiosissimas, hinc inde in meso- et endophloeo in nidis confertas, singulas crystallum stellatam calcii oxalici includentes. Contentum cellularum radiorum medullarium uni- aut biserialium solutione kalii hydrooxydati colorem e fusco rubrum induit.

Sectio transversa Corticis solutione kalii hydrooxydati colorem sordide fuscum, liquor autem sensim colorem belle rubro-violaceum accipit.

100 partes Corticis Viburni spiritu vini diluto perfecte exhaustae ne minus quam partes 15 extracti

exhibeant. Eadem quantitas Corticis combusta ne plus quam partes 5 cineris grisei relinquat.

Sit merx quantum fieri potest libera ab assulis ligneis lateri interiori Corticis adhaerentibus.

Cuprum sulfuricum.

Crystalli caeruleae, pellucidae, in aëre parum fatiscentes, in aqua facile solubiles.

Solutio aquosa baryo nitrico adiecto sedimentum demittit album, in acidis insolubile; ammonia caute addita praecipitatum coloris subcaerulei enascitur, quod superabundante ammonia in liquorem limpidum coloris intense caerulei permutatur.

Solutio aquosa, acido hydrochlorico leniter acidulata aqua hydrosulfurata abundante addita sedimentum fusco-nigrum efficit; liquor ab hoc filtratus sit decolor et evaporatus residuum ne relinquat.

Decocta.

Quodsi in parandis Decoctis quantitas medicaminis a medico definita non est, in genere pro parte 1 substantiae partes 10 colaturae efficiantur.

Haec norma non valet pro medicaminibus efficacioribus, imprimis narcoticis, quorum dosis maxima definita est (Tab. III) et pro substantiis mucilaginosis. Illorum quantitas semper a medico praescribenda est, harum iudicio pharmacopolae committitur.

Substantiae pro Decocto concisae vel contusae in vase idoneo sufficiente quantitate aquae superinfundantur et per semihoram, substantiae structurae compactae

generaliter per horam, interdum agitando vel coquantur vel vaporibus balnei aquae ebullientis exponantur.

Liquidum adhuc calidum exprimendo coletur et si opus fuerit filtretur.

Decocta e medicaminibus mucilagine foetis, ut e radice Althaeae aut e seminibus Lini, sine expressione colentur.

Elaeosacchara.

Rp:	**Olei aetherei praescripti**	*guttam*	1
	Sacchari in pulvere	*grammata*	2.

Misce exactissime.

Ex tempore parentur.

Electuarium lenitivum.

Rp:	**Pulpae Prunorum**	*partes*	4
	Pulpae Tamarindi depuratae		
	Roob Sambuci	*aa partes*	2
	Foliorum Sennae (VI)		
	Kalii hydrotartarici (V)	*aa partem*	1
	Mellis depurati	*q. s.*	

Fiat lege artis, leni calore in balneo aquae per horam calefaciendo Electuarium.

In loco frigido et sicco servandum.

Emplastra.

Praeparata ad applicationem epidermicam in genere consistentiae cerae similis.

Ad parandum Emplastrum substantiae massam emplastri fundamentalem constituentes, ut diversae pinguedines, resinae et emplastra simplicia officinalia, leni calore liquaefacta in massam aequabilem rediguntur, cui substantiae medicamentosae lege artis exactissime miscendo et malaxando incorporantur. Substantiae maioris resistentiae separatim fundantur et substantiae minoris resistentiae massae eorum liquatae admisceantur. Substantiae constituentes sint quantum fieri potest ab aqua liberatae et qualitatis exactae.

Medicamina praescripta pulverata in genere ne nisi in pulvere subtilissimo (VI) et plane sicco adhibeantur.

Emplastrum hoc modo praeparatum aut leni calore liquatum supra linteum extensum dispensetur aut volvendo tormento in formam cylindri redigatur. Temperatura ordinaria sit massa Emplastri solida, sed manus calore mollescens et leni calore liquata facile et aequabiliter supra telam extendenda.

Quodsi Emplastrum extensum praescriptum est, stratum massae in genere millimetrum crassum sit.

Emplastra ne sint mucida.

Emplastrum adhaesivum.

Rp: **Emplastri Plumbi simplicis** a glycerino et aqua liberati *partes* 100

Adipis Lanae
Cerae flavae $\overline{aa}$ *partes* 10.

Leni igne liquefactis adde miscellam liquatam e

Balsami Terebinthinae
Resinae Colophonii
Resinae Dammar $\overline{aa}$ *partibus* 10.

Massam percola et semirefrigeratam in linteo extende.

Emplastrum Cantharidum.

Rp: **Olei Sesami** *partes* 15
Cerae flavae *partes* 40.
Liquefactis admisce
Cantharidum (V) *partes* 25
et digere in balneo aquae per 2 horas.
Massae semirefrigeratae admisce
Balsami Terebinthinae *partes* 17
Balsami Peruviani *partes* 3
et agita usque ad perfectam refrigerationem; tum volvendo in cylindrum forma.

Emplastrum sit coloris nigro-fusci, odoris nauseosi et producat applicatione epidermica elapsis horis nonnullis vesicam. Quotannis renovetur.

Emplastrum Cantharidum perpetuum.

Rp: **Balsami Terebinthinae**
Cerae flavae
Resinae Mastix *āā partes* 28.
Leni calore liquefactis agitando sensim admisce
Cantharidum (V) *partes* 10
Gummiresinae Euphorbii (VI) *partes* 6.
Fiat Emplastrum coloris subnigri, odoris nauseosi.

Emplastrum Conii.

Rp: **Axungiae Porci** *partes* 25
Cerae flavae *partes* 50
Balsami Terebinthinae *partes* 5.

Colliquefactis et colatis sensim admisce agitando

Herbae Conii (VI) *partes* 20.

Fiat lege artis Emplastrum coloris olivacei, odoris proprii nauseosi herbae Conii.

Emplastrum Hydrargyri.

Rp: **Hydrargyri** *partes* 20

Adipis Lanae *partes* 5.

Terendo exactissime misce tam diu quin hydrargyri globuli ope lentis sint conspicui; tum admisce sensim sensimque et accuratissime

Emplastri adhaesivi liquati et semirefrigerati *partes* 75.

Emplastrum Hydrargyri sit coloris cinerei; ne contineat globulos hydrargyri metallici sub lente conspicuos.

Emplastrum Meliloti.

Rp: **Olei Sesami**

Resinae Colophonii *aa partes* 15

Balsami Terebinthinae *partes* 10

Cerae flavae *partes* 30.

Liquefactis et colatis adde

Gummiresinae Ammoniaci (V) *partes* 5

Herbae Meliloti (VI) *partes* 25.

Misce exactissime, fiat Emplastrum coloris olivacei, odoris fragrantis herbae Meliloti.

Emplastrum oxycroceum.

Rp: **Cerae flavae** *partes* 20
Resinae Colophonii *partes* 40.
Colliquefactis adde
Gummiresinae Ammoniaci
Gummiresinae Galbani *aa partes* 5
solutas in
Balsami Terebinthinae *partibus* 5.
Miscellae semirefrigeratae admisce exactissime
Gummiresinae Olibani (V)
Resinae Mastix (V) *aa partes* 10
Florum Croci (V) spiritu vini irroratorum *partes* 5.

Emplastrum oxycroceum est coloris fulvo-fusci, crocum fortiter redolens; tractu temporis fuscescit.

Emplastrum Plumbi carbonici.

Emplastrum Cerussae.

Rp: **Plumbi carbonici** (VI) *partes* 30
Olei Sesami *partes* 10.
Optime contritas misce exactissime cum
Emplastri Plumbi simplicis liquati *partibus* 60
ut fiat Emplastrum coloris albi.

Emplastrum Plumbi compositum.

Emplastrum Diachylon compositum.

Rp: **Gummiresinae Ammoniaci** (III)
Spiritus Vini *aa partes* 10.
In balneo aquae calefactis et colatis adde miscellam liquatam e

Resinae Colophonii	*partibus*	6
Balsami Terebinthinae	*partibus*	4

cui sub continua agitatione sensim sensimque addideris miscellam liquatam e

Cerae flavae	*partibus*	10
Emplastri Plumbi simplicis	*partibus*	70.

Fiat lege artis Emplastrum.

Emplastrum Plumbi compositum est coloris e fusco flavi et redoleat fortiter gummiresinam Ammoniacum.

Emplastrum Plumbi hyperoxydati.

Emplastrum Minii.

Rp: **Plumbi hyperoxydati rubri** (VI)	*partes*	30
Olei Sesami	*partes*	60.

Coque sub continua agitatione usque ad perfectam saponificationem olei, donec massa colorem fusco-nigrescentem acceperit, tum adde

Cerae flavae	*partes*	6.

Colliquefactis admisce

Camphorae	*partes*	2

contritas cum

Olei Sesami	*partibus*	2.

Fiat Emplastrum coloris fusci, Camphoram redolens.

Emplastrum Plumbi simplex.

Emplastrum Diachylon simplex.

Rp: **Axungiae Porci**
Olei Sesami
Plumbi oxydati (VI) *āā partes aequales*

Coque cum sufficiente quantitate aquae sub continua agitatione, aquam evaporando aufugientem subinde compensando, donec plumbum oxydatum plane disparuerit et massa iustam emplastri consistentiam attigerit.

Emplastrum adhuc calidum malaxando iteratim cum aqua calida libera a glycerino et tum sub continua agitatione calefaciendo ab aqua.

Emplastrum Plumbi simplex est coloris e griseo albi; ne sit viscidum neque contineat particulas plumbi oxydati.

Emplastrum saponatum.

Rp: **Emplastri Plumbi simplicis** *partes* 75
Cerae albae *partes* 13.
Leni calore liquatis adde
Saponis medicinalis (VI) *partes* 7.
Misce exactissime et massae semirefrigeratae adde
Olei camphorati *partes* 5.
Misce, fiat Emplastrum coloris albidi, Camphoram redolens.

Emplastrum saponatum salicylatum.

Rp: **Emplastri saponati** *partes* 85
Cerae albae *partes* 5.
Colliquefactis admisce exactissime
Acidi salicylici *partes* 10.
Fiat Emplastrum coloris flavi aut rubro-fusci.

Emulsiones.

Emulsiones e seminibus optime purgatis et si opus est decorticatis in genere ita conficiantur, ut e

Seminis contusi	*parte*	1
Aquae	*q. s.*	
Emulsionis	*partes*	10

resultent.

Emulsiones ex oleis pinguibus parentur ex

Olei	*partibus*	5
Gummi Acaciae (VI)	*partibus*	2·5
Aquae	*partibus*	92·5.

Emulsio amygdalina.

Rp: **Seminis Amygdali dulcis decorticati**	*partes*	10
Sacchari	*partes*	5.

Contundendo in mortario redige in massam pultaceam, cui continua trituratione sensim admisce

Aquae	*q. s.*	
ut fiant **Emulsionis**	*partes*	100.

Emulsio oleosa.

Rp: **Olei Amygdali**	*partes*	10
Gummi Acaciae (VI)	*partes*	5
Aquae	*partes*	7·5.

Bene mixtae subigantur terendo in massam perfecte homogeneam.

Tum sub continua agitatione adde

Syrupi simplicis	*partes*	20
Aquae	*partes*	157·5

ut fiat Emulsio.

Eugenolum.

Ex oleo aethereo Caryophyllorum paratum.

Liquor limpidus decolor aut flavescens, tractu temporis aëre fuscescens, odoris fragrantissimi, saporis urentis aromatici, ponderis specifici 1·072—1·074; temperatura 252°—254° ebulliens; in spiritu vini, aethere et acido acetico concentrato facile, in aqua difficile solubilis.

Gramma Eugenoli cum grammis 26 aquae et centimetris cubicis 4 natrii hydrooxydati soluti mixtum liquorem praebet limpidum, qui aëre turbatur. Solutio guttarum 5 Eugenoli in centimetris cubicis 5 spiritus vini, additis guttis 2 miscellae e parte 1 ferri sesquichlorati soluti et partibus 9 aquae paratae colorem caeruleum, dein viridem in flavum transeuntem ducit.

Mixtura e grammate Eugenoli et grammis 20 aquae fervidae parata chartam exploratoriam caeruleam vix rubefaciat et refrigerata filtrata, addita gutta ferri sesquichlorati soluti ad summum colorem subviridem, mox evanescentem, ne vero caeruleum trahat.

Extracta.

Praeparata obtenta extrahendo medicamina variae naturae, sed praesertim vegetabilia aut aqua, aut spiritu vini, aut aethere eo modo, ut substantias activas, quantum fieri potest integras conservent.

Medicamina adhibita ad paranda Extracta qualitatis optimae et pro eorum habitu et textura, ut quoque loco praescriptum est siccata, concisa aut contusa sint.

Quantitas menstrui nec non spatium temporis ad extractionem accuratissime, ut praescriptum est, observetur.

Liquores extractione obtenti et clarificati secundum quamque praescriptionem extemplo in balneo aquae, exclusis vasis metallicis, sub continua agitatione ad iustam consistentiam evaporentur.

Extracta spirituosa nec non aetherea antea sint liberanda a maxima menstrui parte ope destillationis in balneo aquae.

Extractis spirituosis ad finem operationis parva quantitas spiritus vini iam priore destillatione obtenti sub continua agitatione admisceatur ad obtinendam distributionem aequabilem omnium Extracti substantiarum.

Secundum consistentiam Extractorum tres gradus distinguuntur:

1. **Extracta tenuia,** consistentiae mellis recentis.

2. **Extracta spissa,** quae temperatura ordinaria effundi nequeunt et circiter partes centesimas 10—20 aquae continent.

3. **Extracta sicca,** in pulverem redigenda, partes centesimas 5 circiter aquae continentia.

Sint Extracta odoris et saporis proprii, clare solubilia in eo medio, quod ad parandum extractum singulum adhibetur; ne sint mucida et contineant quantitatem substantiae activae singulo praescriptam.

Quodsi grammata 2 cuiusvis Extracti in patina porcellanea incineraveris, tum cinerem ope caloris in centimetris cubicis 5 acidi hydrochlorici diluti solveris, solutio filtrata ne mutetur adiecta aqua hydrosulfurata.

Serventur Extracta in vasis optime obturatis in loco sicco et frigido.

Extracta sic dicta **narcotica** ad dispensationem redigantur sicca **Gummi Acaciae** et **Aquae** aa partem 1

solvendo in patina porcellanea ponderis noti in balneo aquae, admiscendo **Extracti narcotici** partem 1, evaporando miscellam sub continua agitatione ad siccitatem et demum addendo **Gummi Acaciae** tantum, ut obtineantur partes 2 **Extracti sicci** post refrigerationem in pulverem redigendi.

Haec norma non valet pro extracto Cannabis Indicae cum partibus 3 gummi Acaciae exsiccando.

Extracta narcotica in formam **solutionis** ad dispensationem redigantur solvendo **Extracti narcotici** partes 10 in partibus 6 **Aquae** adiectis partibus 3 **Glycerini** et parte 1 **Spiritus Vini.**

Eiusmodi extracti aut solutionis quantitas **duplex** sed extracti Cannabis Indicae quadruplex dispensetur, ut ea, quae a medico sub forma extracti spissi praescripta fuerit.

Extractis narcoticis praestantissimis quantitas substantiae alcaloïdeae definita praescribitur. Eiusmodi Extractum quantitatis substantiae alcaloideae superioris redigendum est ad praescriptam eius quantitatem aut miscendo exactissime pulvere gummi Acaciae aut solvendo ope miscellae supradictae, ex aqua cum glycerino et spiritu vini confectae, **prout dispensetur extractum sub forma pulveris aut solutionis.**

Extracta fluida.

Praeparata obtenta extrahendo medicamenta vegetabilia menstruo ita, ut pars Extracti parti aequali medicamenti adhibiti respondeat.

Ad ea paranda strictissime secundum singulas praescriptiones procedere oportet.

Medicamenta adhibita sint qualitatis optimae, in pulvere subtilitatis praescriptae et quantum fieri potest aëre plane siccata.

Partes 100 eius in vase satis amplo, bene claudendo, cum menstruo quantitatis praescriptae aequabiliter humectentur, quin pulvis conglobetur.

Seponatur massa madefacta vase tecto per horas 3. Tum ingeratur, aequabiliter comprimendo, in apparatum depulsorium, cuius pars inferior strato gossypii depurati armata est. Orificium apparatus inferius aperiatur et menstrui superinfundatur tantum, ut massa pulveris menstruo obtecta sit et liquor guttatim defluere incipiat. Eo momento orificium inferius claudatur et apparatus obturatus per biduum seponatur. Tum orificium inferius aperiatur ita, ut elapso tempore minuti unius guttae 30 liquoris defluant.

Superinfundendo menstruum liquor tamdiu defluat, ut eius partes 85 resultent, quae in lagena separatim collectae seponantur.

Aequali modo, affundendo menstruum per vices, massa pulveris contenta in apparatu depulsorio tractetur usque ad perfectam extractionem.

Liquor hinc obtentus destillando liberetur a spiritu vini et in balneo aquae evaporetur ad remanentiam partium 15, quae admisceantur illis iam prius separatis partibus 85 liquoris. Sepone per aliquot dies, tum filtra.

Extracta fluida sint limpida, odoris et saporis proprii peculiaris medicamenti adhibiti, ponderis specifici praescripti et quantitatis residui sicci definitae.

Residuum Extracti fluidi siccum investigetur ratione subsequente.

Extracti fluidi grammata 2 in lagenula vitrea diametri millimetrorum 40 et altitudinis millimetrorum 30, fundo plano, noti ponderis, in balneo aquae, erecta lagenula, per 2 horas siccentur. Dein lagenula cum contento refrigeretur in apparatu exsiccatorio et trutina examinetur.

Solutio filtrata cineris, obtenti in patina porcellanea e grammis 3 extracti fluidi calefaciendo cum centimetris cubicis 5 acidi hydrochlorici diluti, addita aqua hydrosulfurata ne mutetur.

Extractum Aloës.

Rp: **Aloës** (II) *partem* 1.
Solve in
Aquae ebullientis *partibus* 5
et admisce
Aquae frigidae *partes* 5.

Sepone per horas 48; tum liquorem limpidum a resina secreta decantatum filtra et in balneo aquae ad siccum evapora.

Sit coloris e flavo fusci, saporis peramari; limpide solvatur in aqua fervida, subturbide sed sine ullo residuo in aqua frigida.

Solutio natrii boracici, solutioni Extracti Aloës aquosae addita, brevi tempore viride fluorescat.

Extractum Belladonnae.

Rp: **Foliorum Belladonnae** (III) *partes* 10
humefactas cum

Spiritus Vini diluti *partibus* 5.

Sepone in vase tecto per horas 3; tum ingere massam in apparatum depulsorium et superaffunde

Spiritus Vini diluti *partes* 20.

Horis 48 elapsis fac ut liquor guttatim defluat et affunde per vices denuo

Spiritus Vini diluti *partes* 50.

Liquores collectos destillando in balneo aquae libera a spiritu vini et residuum sepone in loco frigido per 24 horas; tum filtra et liquorem filtratum evapora in balneo aquae ad consistentiam extracti spissi.

Extractum Belladonnae est coloris fusci, in aqua nec non in spiritu vini diluto limpide solubile. Contineat partes duas (2) alcaloidorum propriorum in partibus 100.

Quodsi solutionem aquosam grammatis Extracti exquassaveris chloroformio, solutionem chloroformicam evaporaveris et residuum solveris in centimetris cubicis 20 aquae ebullientis, liquor filtratus addita gutta ammoniae evidenter fluorescat colore e caeruleo viridescente.

Quantitas alcaloidorum Extracti Belladonnae subsequente ratione statuetur.

Extracti Belladonnae grammata 7·5 solve in mortario terendo ope centimetrorum cubicorum 10 aquae; solutionem immitte in cucurbitam signatam centimetrorum cubicorum 150 una cum centimetris cubicis 5 aquae, quibuscum mortarium accuratissime ablueris; tum adde paulatim, semper in parva quantitate et conquassando spiritum vini concentratum (95%) usque ad cucurbitae signum perfectae repletionis. Sepone per horam, tum filtra.

Centimetra cubica 100 liquoris filtrati (respondentia grammis 5 Extracti) additis centimetris cubicis 25 aquae evapora sub continua agitatione in patina por-

cellanea ope balnei aquae usque ad perfectam spiritus vini amissionem.

Residuum immitte in infundibulum separatorium additis centimetris cubicis 5 solutionis natrii carbonici (1 = 4) et centimetris cubicis 20 chloroformii, fortiter conquassando miscellam. Stratum chloroformii limpide evasum collige in cucurbitam. Haec operatio repetatur cum centimetris cubicis 10 et 5 chloroformii. Solutiones chloroformicas collectas vicibus sequentibus exquassa cum centimetris cubicis 20, 10 et 5 aquae nonnullis guttis acidi hydrochlorici acidulatae. Liquores acidos collectos, addita solutione natrii carbonici alcalinos enatos, ternis vicibus exquassa cum centimetris cubicis 10 chloroformii. Solutionem alcaloidorum chloroformicam transporta in lagenulam praeditam collo amplo, ponderis noti, evaporando chloroformium temperatura ordinaria. Residuum crystallinum fere plane album exsicca temperatura 100° et in apparatu exsiccatorio refrigeratum trutina examina.

Pondus eius sit decigrammatis 1. Quodsi efficiatur pondus producti superius, quantitas substantiae alcaloideae reducatur ad quantitatem praescriptam ratione in articulo generali de extractis descripta.

Extractum Calami aromatici.

Rp: **Radicis Calami aromatici** (III) *partes* 10
Spiritus Vini diluti *partes* 5.

Macera per horas 3 in vase clauso; tum massam madefactam ingere in apparatum depulsorium et superaffunde

Spiritus Vini diluti *partes* 20.

Macera per horas 48; hoc tempore elapso fac ut liquor guttatim defluat et per vices denuo affunde

Spiritus Vini diluti *partes* 50.

Liquores collectos destillando libera a spiritu vini et residuum evapora in balneo aquae ad consistentiam mellis recentis.

Tum per vices sub continua agitatione admisce spiritus vini destillando iam supra obtenti partem 1 et evapora ad consistentiam extracti spissi.

Sit Extractum coloris e rubro fusci, saporis peculiaris condimentarii et amari, odoris aromatici; limpide solvatur in spiritu vini diluto, sed turbide in aqua.

Extractum Calumbae.

Paretur e *Radice Calumba* (III) ut extractum Calami aromatici, sed evaporetur ad siccum.

Sit coloris fusci, saporis amari; solvatur in spiritu vini diluto limpide colore flavo.

Solutio Extracti aquosa (1 = 100) addita aqua chlori colorem rubrum trahat; addita solutione iodi et kalii iodati ne demittat praecipitatum.

Extractum Cannabis Indicae.

Paretur ex *Herba Canabis Indicae* (III) cum spiritu vini concentrato ut extractum Calami aromatici.

Sit coloris e fusco viridis, odoris peculiaris herbae Cannabis, plane solubile in spiritu vini.

Extractum Centaurii minoris.

Rp: **Herbae Centaurii minoris** (II) *partes* 10.
Infunde cum
Aquae ebullientis *partibus* 50.
Sepone saepius agitando per horas 6 et exprime. Remanentiam aequali modo tracta cum
Aquae ebullientis *partibus* 20.
Liquores collectos cola et in balneo aquae evapora ad residuum *partium* 20.
Refrigeratis admisce
Spiritus Vini *partes* 10.
Sepone per 24 horas in loco frigido, filtra et evapora ad consistentiam extracti spissi.

Sit Extractum coloris fusci, saporis peramari; fere limpide solvatur in aqua.

Centimetra cubica 10 solutionis Extracti aquosae (1 = 10) filtratae ne statim turbentur additis centimetris cubicis 5 spiritus vini.

Extractum Chinae.

Extractum Chinae frigide paratum.

Rp: **Corticis Chinae** (IV) *partes* 10.
Humecta pulverem cum
Aquae *q. s.*
quin conglobetur; macera per horas 3; tum massam ingere in apparatum depulsorium et superaffunde
Aquae *q. s.*
Elapsis horis 48 sepositionis fac ut liquor defluat usque ad quantitatem *partium* 100.
Liquorem evapora in balneo aquae ad siccitatem.

Extractum Chinae sit pulvis hygroscopicus coloris fusci, saporis amari et adstringentis, turbide solubilis in aqua.

Ad examinandam quantitatem alcaloidorum in Extracto contentam solve grammata 3 Extracti in miscella e grammis 5 alcoholis absoluti et grammis 15 aquae; solutioni adde grammata 20 chloroformii, grammata 50 aetheris, grammata 2 ammoniae et conquassa fortiter. Sepone miscellam saepius conquassando in cucurbitam bene clausam per 12 horas. Tum grammata 50 solutionis limpidae aethereae ingere in lagenulam aptam, evapora residuum ad pondus constans, sicca et trutina examina.

Pondus massae sic obtentae sit minime centigrammatum 15 respondens partibus centesimis septem et dimidia (7·5) alcaloidorum. Solutio eius aquosa, acido hydrochlorico paulum acidulata aqua chlori et guttis 2—3 ammoniae additis colorem belle viridem trahat.

Extractum Chinae fluidum.

Rp: **Corticis Chinae** (IV) *partes* 100.

Humecta aequabiliter cum miscella ex

Acidi hydrochlorici diluti *partibus* 10

Glycerini

Aquae *āā partibus* 20.

Sepone per horas 3, tum massam pulveris madefactam ingere in apparatum depulsorium et superaffunde

Aquae *q. s.*

Sepone per horas 48; tum fac ut liquor guttatim defluat et separa liquoris defluxi *partes* 60.

Remanentiae in apparatu depulsorio denuo affunde

Aquae *q. s.*

ad perfectam corticis Chinae extractionem et liquorem obtentum evapora temperatura satis moderata usque ad remanentiam *partium* 25

quibus admisce liquorem separatim iam prius collectum, demum

Spiritus Vini *partes* 15.

Sit liquor limpidus, coloris obscure fusci, saporis amari, p. spec. 1·11—1·15. Solvatur limpide in aqua. Quodsi solutionem e grammis 5 Extracti in grammis 10 aquae, addita ammonia vicibus sequentibus exquassaveris cum 20, 10 et 5 centimetris cubicis chloroformii, residuum evaporato chloroformio minime sit ponderis decigrammatum 2, respondentis partibus centesimis quatuor (4) alcaloidorum Extracti. Solutio massae alcaloideae aquosa, acido hydrochlorico paulum acidulata, aqua chlori et guttis 2—3 ammoniae additis colorem belle viridem trahat.

Extractum Colae fluidum.

Rp: **Seminis Colae** (IV) *partes* 100.

Humecta aequabiliter cum miscella e

Glycerini *partibus* 10

Spiritus Vini *partibus* 12

Aquae *partibus* 25.

Sepone vase tecto per horas 3; tum ingere massam madefactam in apparatum depulsorium et superaffunde quantitatem sufficientem miscellae paratae e

Spiritus Vini *parte* 1

Aquae *partibus* 2.

Horis 48 elapsis fac ut liquor guttatim defluat et liquoris defluxi *partes* 85
collige et sepone.

Partem alteram liquoris usque ad perfectam pulveris extractionem obtenti destillando libera a spiritu vini et evapora in balneo aquae ad remanentiam partium 15, quam admisce partibus 85 liquoris iam prius collectis.

Elapsis nonnullis diebus sepositionis filtra.

Extractum Colae fluidum sit liquor limpidus, coloris rubro-fusci, odoris debilis peculiaris, saporis adstringentis, ponderis specifici 0·996—1·05. In aqua turbide solvatur. Solutio diluta addita solutione ferri sesquichlorati praecipitatum coloris sordide viridis demittat.

Ad determinandam coffeïni quantitatem misce

Extracti Colae fluidi	*grammata*	12
Ammoniae	*grammata*	3
Chloroformii	*grammata*	60.

Sepone miscellam in infundibulo separatorio saepius conquassando per 12 horas. Tum separa stratum limpidum chloroformicum et eius grammata 50 (= 10 gr. Extracti) in lagenula apta ponderis noti evapora et exsicca ad pondus constans.

Pondus huius residui crystallini albi sit minime decigrammatis 1 respondens parti centesimae uni (1) coffeïni.

Extractum Colocynthidis.

Rp: **Fructus Colocynthidis** a seminibus liberati (II)
Spiritus Vini diluti $\bar{aa}$ *partes* 10.

Macera in vase tecto per horas 3; tum ingere massam madefactam in apparatum depulsorium et superaffunde
Spiritus Vini diluti *partes* 50.

Horis 48 elapsis fac ut liquor guttatim defluat et per vices denuo affunde

Spiritus Vini diluti *partes* 150.

Liquore perfecte defluxo remanentiam exprime, liquores collectos filtra et destillando a spiritu vini libera. Residuum in balneo aquae evapora ad siccum.

Extractum Colocynthidis sit pulvis coloris e flavo fusci, saporis amarissimi; plane solvatur in spiritu vini diluto.

Pauxillum extracti humectati cum nonnullis guttis solutionis ammonii molybdaenici in acido sulfurico concentrato (1 = 1000) exhibeat miscellam coloris rubri mox laete violacei.

Extractum Condurango fluidum.

Rp: **Corticis Condurango** (IV) *partes* 100.

Humecta aequabiliter cum miscella parata e

Glycerini	*partibus*	10
Spiritus Vini	*partibus*	12
Aquae	*partibus*	25

et sepone vase tecto per horas 3.

Tum ingere massam madefactam in apparatum depulsorium et superaffunde miscellam e

Spiritus Vini	*parte*	1
Aquae	*partibus*	3.

Ceterum paretur, ut de extractis fluidis praescriptum.

Liquor limpidus, coloris fusci, odoris saporisque corticis Condurango, ponderis specifici 1·03—1·06.

100 Extracti partes evaporatae minime relinquant partes 17·5 residui. Solutio Extracti aquosa (1 = 10) filtrata calefaciendo turbetur, sed refrigerata iterum limpida evadat et addita solutione acidi tannici praecipitatum demittat copiosum.

Extractum Cubebae.

Rp: **Fructus Cubebae** (IV) *q. s.*

In apparatu depulsorio perfecte extrahe cum miscella ex

Aetheris

Spiritus Vini *aa partibus aequalibus.*

Liquorem obtentum libera destillando a spiritu aethereo et residuum, si opus est, redige evaporando in balneo aquae ad consistentiam extracti tenuis.

Extractum Cubebae sit coloris fusci aut olivacei, odoris fortis fructus Cubebae, in miscella e partibus aequalibus aetheris et spiritus vini perfecte limpide solubile.

Pauxillum Extracti solutum in acido sulfurico concentrato colorem rubrum producat.

Extractum Dulcamarae.

Paretur e *Caulibus Dulcamarae* (II) ut extractum Centaurii minoris. Extractum obtentum spissum misce cum aequali parte gummi Acaciae in pulvere, miscellam sicca et redige in pulverem.

Extractum Dulcamarae sit pulvis coloris laete fusci, saporis amari et subacris, in aqua turbide solubilis.

Extractum Filicis maris.

Paretur e *Radice Filicis maris* (IV) extrahendo aethere, ut extractum Cubebae.

Sit coloris e viridi fusci, odoris peculiaris haud grati; solvatur plane in aethere. Solutio aetherea addito abundante aethere petrolei praecipitatum producat.

Extractum Filicis maris ne dispensetur nisi diligentissime permixtum.

Extractum Fungi Secalis.

Extractum Secalis cornuti.

Rp: **Fungi Secalis** (IV) *partes* 10

Aquae antea cum dimidia centesima parte chloroformii exactissime conquassatae *partes* 20.

Sepone per 12 horas, tum exprime. Remanentiam iterum tracta aequali modo, sed sepone solum per horas 6.

Liquores commixtos cola et ope balnei aquae evapora ad residuum *partium* 5.

Post refrigerationem adde

Spiritus Vini *partes* 5.

Sepone saepius conquassando per triduum, tum filtra, liquorem destillando in balneo aquae libera a spiritu vini et evapora ad consistentiam extracti spissi.

Extractum Fungi Secalis sit coloris rubro-fusci, odoris peculiaris haud ingrati; solvatur limpide et perfecte in aqua nec non in mixtura e partibus aequalibus aquae et spiritus vini.

Solutio aquosa (1 = 100) praebeat reactionem subacidulam et addita solutione acidi tannici aut hydrargyri bichlorati corrosivi praecipitatum.

Decigrammata 2 Extracti soluta in centimetris cubicis 5 aquae, ammonia alcalina facta et exquassata aethere, solutionem aethercam praebeant, quae evaporato aethere residuum det, quod solutum in acido acetico concentrato, ferrum sesquichloratum continente (1 = 1000) superfuso acido sulfurico concentrato eo loco, quo liquores se tangunt, zonam coloris caeruleo-violacei exhibeat.

Extractum Fungi Secalis fluidum.

Extractum Secalis cornuti fluidum.

Rp: **Fungi Secalis** (IV) *partes* 100.

In apparatu depulsorio ope aetheris petrolei perfecte a pinguedine liberentur et pulvis usque ad completam evaporationem aetheris siccetur.

Tum humecta pulverem aequabiliter cum miscella e

Glycerini	*partibus*	5
Spiritus Vini		
Aquae	*aa partibus*	20.

Sepone vase tecto per horas 3; tum ingere massam in apparatum depulsorium et superaffunde quantitatem sufficientem aquae. Elapsis horis 48 sepositionis para extracti partes 100, ut de extractis fluidis praescriptum est.

Liquor fuscus, odoris peculiaris, ponderis specifici 1·05—1·10. Residuum siccum sit minime partium 20 e partibus 100 Extracti.

Solutio aquosa (1 = 10) addita et solutione acidi tannici et hydrargyri bichlorati corrosivi praecipitatum exhibeat. Decigrammata 5 Extracti soluta in centimetris cubicis 5 aquae, ammonia alcalina facta et exquassata aethere solutionem aethercam praebeant, quae evaporato aethere residuum det, quod solutum in acido acetico concentrato, ferrum sesquichloratum continente (1 = 1000) superfuso acido sulfurico concentrato eo loco, quo liquores se tangunt, zonam coloris caeruleo-violacei exhibeat.

Extractum Gentianae.

Rp: **Radicis Gentianae (I)** *partes* 10
Aquae *partes* 40.

Macera per 24 horas, tum exprime et remanentiam denuo macera cum

Aquae *partibus* 30

per 12 horas et exprime.

Liquores collectos caleface ad ebullitionem, cola et evapora ad remanentiam *partium* 10.

Refrigeratis adde

Spiritus Vini *partes* 20.

Sepone per triduum in loco frigido, tum filtra. Liquorem filtratum libera destillando a spiritu vini, residuum misce cum aequali pondere aquae et sepone per biduum in loco frigido. Tum liquorem filtra et evapora in balneo aquae ad consistentiam extracti spissi.

Extractum Gentianae sit coloris fusci, saporis peramari; solvatur in aqua fere limpide.

Centimetra cubica 10 solutionis Extracti aquosae (1 = 10) filtratae ne statim turbentur additis centimetris cubicis 5 spiritus vini.

Extractum Graminis.

Paretur e *Radice Graminis* scissa ut extractum Centaurii minoris evaporando ad consistentiam extracti spissi.

Sit coloris fusci, saporis dulcis; solvatur limpide in aqua.

Centimetra cubica 10 solutionis Extracti aquosae (1 = 10) filtratae ne statim turbentur additis centimetris cubicis 5 spiritus vini.

Extractum Granati.

Paretur e *Cortice Granati* (III) ut extractum Calami aromatici.

Sit coloris fusci, saporis amari et valde adstringentis; solvatur plane in spiritu vini diluto.

Solutio spirituosa (1 = 100) addito pauxillo solutionis ferri sesquichlorati colorem caeruleum trahat.

Extractum Hamamelidis fluidum.

Paretur e *Foliis Hamamelidis* (III) ut extractum Condurango fluidum, sed ad percolationem recipe miscellam paratam e

Spiritus Vini	*parte*	1
Aquae	*partibus*	2.

Liquor coloris fusci, saporis adstringentis, ponderis specifici 1·06—1·10. In aqua solvitur turbide; addita solutione ferri sesquichlorati colorem sordide caeruleum trahit.

Residuum siccum sit minime partium centesimarum 23.

Extractum Hydrastidis fluidum.

Rp: **Radicis Hydrastidis** (IV)	*partes*	100.

Humecta aequabiliter cum miscella e

Glycerini	*partibus*	10
Spiritus Vini diluti	*partibus*	40.

Sepone vase tecto per 3 horas; tum pulverem madefactum ingere in apparatum depulsorium et superaffunde

Spiritus Vini diluti	*q. s.*

Ceterum Extractum paretur ut extractum Colae fluidum.

Extractum Hydrastidis fluidum sit limpidum, coloris flavo-fusci, saporis amari et ponderis specifici 1·00—1·05. Solvatur limpide in spiritu vini diluto, turbide in aqua.

Solutio Extracti in spiritu vini diluto (1 = 10) additis guttis nonnullis solutionis aquosae iodi cum kalio iodato praecipitatum producat microcrystallinum coloris flavo-fusci, mox nigro-viridis.

100 Extracti partes evaporatae ad siccum ne minus residui exhibeant quam partes 25.

Extractum Hyoscyami.

Paretur e *Foliis Hyoscyami* (III) ut extractum Belladonnae foliorum.

Sit coloris obscure e viridi fusci; solvatur limpide in aqua necnon in spiritu vini diluto.

Quodsi solutionem, paratam e grammate Extracti in centimetris cubicis 20 aquae exquassaveris cum centimetris cubicis 10 chloroformii, solutionem chloroformicam liberaveris a chloroformio et residuum solveris in centimetris cubicis 20 aquae ebullientis liquor filtratus, addita gutta ammoniae ne fluorescat.

Quantitas alcaloidorum Extracti Hyoscyami examinetur aequali modo ut apud extractum Belladonnae foliorum praescriptum; sit decigrammatum trium (3) in grammis 100 Extracti. Quodsi efficiatur pondus producti superius quantitas substantiae alcaloideae reducatur ad quantitatem praescriptam modo in articulo generali de Extractis descripto.

Quodsi humectetur paululum alcaloidorum in patinula porcellanea cum guttis nonnullis acidi nitrici fumantis et in balneo aquae evaporetur, residuum refrigeratum, addita gutta solutionis kalii hydrooxydati spirituosae statim colorem violaceum, mox rubrum accipiat.

Extractum Liquiritiae.

Rp:	**Radicis Liquiritiae** (II)	*partes*	10
	Aquae	*partes*	30.

Macera per horas 12, tum exprime. Remanentiae affunde

Aquae ebullientis	*partes*	20.

Sepone per horam, tum exprime. Liquores collectos, calefactos per longius tempus ad ebullitionem et despumando clarefactos filtra et liquorem filtratum evapora ad mellis consistentiam. Sepone in loco frigido per biduum, solve in partibus 2 aquae, filtra et evapora in balneo aquae ad consistentiam extracti spissi.

Extractum Liquiritiae sit coloris fusci, saporis perdulcis adhaerentis; solvatur limpide in aqua.

Solutio Extracti aquosa addito acido hydrochlorico diluto, praecipitatum copiosum demittit, quod in filtro collectum et eluendo depuratum perfecte solvitur ammonia diluta. Solutio ad siccitatem evaporata residuum exhibet coloris e nigro fusci, saporis perdulcis, limpide solubile in aqua.

Extractum Liquiritiae venale.

Succus Liquiritiae crudus.

Extractum e radice Liquiritiae scissa coquendo cum aqua, exprimendo et evaporando in officinis propriis

paratum occurrit in genere in bacillis cylindricis circiter 15 centimetra longis, $1^1/_2$—2 centimetra crassis, in superficie laevibus, nigris, duris, sed calore mollescentibus, in fractura late conchata nitentibus, in fragmentis tenuibus semipellucidis fuscis, odoris peculiaris, saporis suaviter perdulcis.

100 partes mercis temperatura 100° siccatae ne perdant plus quam partes 15 ponderis. Eadem quantitas mercis, aqua calorem 50° non superante exhausta ne plus quam partes 25 substantiae siccae relinquat.

100 partes Extracti Liquiritiae venalis combustae ne plus quam partes 8 cineris exhibeant. Cinis obtentus e grammis 2 mercis, cum grammis 5 acidi hydrochlorici diluti calefactus filtrando liquorem praebeat, qui addita aqua hydrosulfurata ne mutetur.

Ne sit Extractum Liquiritiae venale inquinatum farina cerealium, amylo aut dextrino, exploratione microscopica facile dignoscendis.

Ad usum pharmaceuticum **Extractum Liquiritiae depuratum** (Succus Liquiritiae depuratus) e merce solvendo in aqua frigida, filtrando et evaporando ad siccitatem adhibeatur.

Sit pulvis fuscus, in aqua frigida ex toto limpide solubilis.

Extractum Opii.

Rp: **Opii scissi** (I) *partes* 10.
Macera per 24 horas cum
Aquae *partibus* 50

cola, remanentiam exprime et contritam macera denuo per 24 horas cum

Aquae *partibus* 25.

Liquores expressione obtentos commixtos sepone, cola et in balneo aquae evapora ad mellis consistentiam.

Tum extractum solve in

Aquae frigidae *partibus* 10

sepone et filtra. Liquorem filtratum evapora in balneo aquae ad siccitatem et redige in pulverem.

Pulvis e rubro fuscus, odoris peculiaris Opii narcotici, saporis amari, in aqua subturbide solubilis.

100 eius partes viginti (20) partes morphini contineant.

Solutio Extracti Opii aquosa (1 = 100) addita solutione ferri sesquichlorati colorem intense rubrum accipiat et addita solutione kalii ferricyanati sedimentum obscure caeruleum deponat.

Quantitatem morphini contenti in Extracto Opii statuas subsequente ratione.

Grammata 3 Extracti Opii solve terendo in mortario in grammis 40 aquae, adde grammata 2 solutionis ammoniae normalis versando neque conquassando et filtra statim per filtrum in rugas artatum radii 5 centimetrorum. Huius filtrati grammata 30 dein tractentur ut apud Opium descriptum.

Pondus morphini obtenti sit decigrammatum 4.

Extractum Opii continens plus quam partes centesimas 20 morphini addito pulvere gummi Acaciae redigatur ad praescriptam quantitatem morphini, id est ad partes centesimas 20.

Extractum Pomi ferratum.

Extractum Malatis Ferri.

Rp: **Succi Pomorum acidulorum maturorum** *partes* 100
Ferri pulverati *partes* 5.

Sepone per biduum temperatura ordinaria, tum digere temperatura 50° haud superante tamdiu evolutio gasis observatur. Tum liquorem cola et ad mellis consistentiam evapora.

Huius Extracti *partem* 1
solve in
Aquae *partibus* 3.

Sepone, filtra et filtratum in balneo aquae ad consistentiam extracti spissi evapora.

Extractum Pomi ferratum sit coloris e viridi nigri, fere limpide solubile in aqua, saporis acerbi adstringentis cum aliqua dulcedine, haud acris.

Contineat in partibus 100 minime partes 5 ferri. Combure grammata 2 Extracti Pomi ferrati in fictili porcellaneo; cinerem obtentum acido nitrico saepius madefactum et iterum ignitum extrahe acido hydrochlorico fervido; liquorem refrigeratum filtra in lagenulam epistomio vitreo armatam, adde grammata 2 kalii iodati et sepone per horam. Ut iodum nunc liberum iungatur, minime centimetra cubica 18 solutionis natrii thiosulfurici decinormalis consumantur.

Extractum Quassiae.

Rp: **Ligni Quassiae** (II) *partes* 10.
Macera per horas 12 cum
Aquae *partibus* 50.

Calefac ad ebullitionem, exprime colando et remanentiam iterum coque cum

Aquae *partibus* 30.

Liquores commixtos evapora in balneo aquae ad residuum *partium* 5

cui post refrigerationem admiscea 5

Spiritus Vini *partes* 5.

Sepone per 24 horas, filtra et evapora in balneo aquae ad siccitatem.

Extractum Quassiae sit pulvis coloris fusci, saporis peramari; solvitur turbide in aqua, limpide in spiritu vini diluto.

Solutio Extracti aquosa addita solutione acidi tannici sedimentum deponat.

Extractum Quebracho fluidum.

Rp: **Corticis Quebracho** (IV) *partes* 100.

Humecta aequabiliter cum miscella e

Spiritus Vini *partibus* 10

Aquae *partibus* 30

et sepone in vase tecto per horas 3.

Ceterum paretur ut extractum Condurango fluidum.

Sit liquor limpidus, ponderis specifici 0·98—1·03, coloris fusco-rubri, subfluorescens, saporis mere amari.

Miscella e grammate 1 Extracti et grammis 20 aquae additis guttis 3 solutionis acidi tannici (1 = 5) statim praecipitatum coloris carnei exhibeat.

Quodsi centimetra cubica 5 Extracti Quebracho, nonnullis guttis ammoniae alcalina facta cum centimetris cubicis 20 aetheris exquassaveris, solutio aetherea

evaporata residuum relinquat, quod in centimetris cubicis 5 acidi sulfurici diluti solutum, adiecto decigrammate kalii chlorici caute calefactum colorem obscure rubrum trahat.

100 Extracti partes evaporatae ad siccum minime partes 4 residui relinquant.

Extractum Ratanhiae.

Rp: **Radicis Ratanhiae** (III) *partes* 10
Aquae *partes* 200.

Macera per 24 horas, exprime et residuum aequali modo tracta cum

Aquae *partibus* 100.

Liquores collectos, ad ebullitionem calefactos cola et in balneo aquae ad extractum siccum evapora.

Extractum Ratanhiae sit pulvis coloris rubro-fusci, saporis valde adstringentis. Cum partibus 10 aquae ebullientis solutionem fere limpidam exhibeat coloris fusco-rubri, quae refrigerando turbetur, sed addito spiritu vini diluto iterum limpida evadat.

Solutio Extracti aquosa addita ammonia liquorem coloris splendide purpurei addita solutione ferri sesquichlorati obscure viridis exhibeat.

Extractum Rhamni Purshiani fluidum.

Extractum Cascarae sagradae fluidum.

Rp: **Corticis Rhamni Purshiani** (IV) *partes* 100
Magnesii oxydati *partes* 10.

Humecta aequabiliter cum miscella e

Spiritus Vini
Aquae $\overline{aa}$ *partibus* 25.

Sepone in vase tecto per horas 3.

Caeterum paretur ut extractum Colae fluidum, sed ad extractionem recipe miscellam e

Spiritus Vini
Aquae $\overline{aa}$ *partibus aequalibus.*

Extractum Rhamni Purshiani sit liquor limpidus, coloris obscure fusco-rubri, reactionis neutrius, ponderis specifici 1·03—1·07, saporis subamari.

Solvatur limpide in aqua; addita solutione acidi tannici praecipitatum coloris fusci demittat.

100 Extracti partes evaporatae ad siccum minime praebeant partes 20 residui.

Extractum Rhei.

Rp: Radicis Rhei (I) *partes* 10
Spiritus Vini *partes* 20
Aquae *partes* 30.

Macera per 24 horas saepius agitando, tum exprime. Remanentiam aequali modo tracta cum dimidia parte miscellae supradictae. Liquores commixtos sepone per biduum, filtra, destillando libera a spiritu vini et evapora in balneo aquae ad consistentiam extracti sicci.

Extractum Rhei sit pulvis vel massa coloris flavo-fusci, odoris saporisque proprii radicis Rhei. Solvatur turbide in aqua.

Solutio Extracti aquosa, adiecta ammonia liquorem coloris sanguinei exhibeat, qui addito acido hydrochlorico praecipitatum floccosum coloris flavi producat.

Extractum Rhei compositum.

Rp:			
Rp:	Extracti Rhei (V)	*partes*	6
	Extracti Aloës (V)	*partes*	2
	Resinae Ialapae (V)	*partem*	1
	Saponis medicinalis (V)	*partem*	1.

Misce exactissime. Ex tempore paretur.

Extractum Scillae.

Paretur e squamis *Bulbi Scillae* scissis (II) ut extractum Belladonnae foliorum.

Sit coloris flavo-fusci aut subrubro-fusci, saporis peramari et acris. Solvatur in aqua turbide, in spiritu vini diluto limpide.

Solutio Extracti aquosa addita solutione acidi tannici praecipitatum demittat.

Extractum Strychni.

Paretur e *Semine Strychni* (IV) ut extractum Belladonnae.

Sit saporis amarissimi, limpide solubile colore fusco et in aqua et in spiritu vini diluto.

Quodsi pauxillo Extracti in patina porcellanea guttas acidi sulfurici diluti nonnullas addideris et lente calefeceris color cerasinus vel violaceus oritur.

Extractum Strychni contineat in partibus 100 partes sedecim (16) alcaloidorum, quas examines adhibendis grammis 3 Extracti, ut apud extractum Belladonnae descriptum.

Pondus alcaloidorum obtentum sit centigrammatum 32. Quodsi efficiatur pondus producti superius quantitas substantiae alcaloideae reducatur ad quantitatem praescriptam ratione in articulo generali de Extractis praescripta.

Extractum Taraxaci.

Paretur e partibus aequalibus *Radicis* (II) et *Foliorum Taraxaci* (I) ut extractum Centaurii minoris evaporando ad consistentiam extracti spissi, sed loco aquae fervidae aqua frigida adhibeatur.

Sit coloris fusci, saporis amari; solvatur limpide in aqua.

Centimetra cubica 10 solutionis Extracti aquosae (1 = 10) filtratae ne statim turbentur additis centimetris cubicis 5 spiritus vini.

Extractum Trifolii fibrini.

Paretur e *Foliis Trifolii fibrini* (I) ut extractum Centaurii minoris evaporando ad consistentiam extracti spissi.

Sit coloris fusci, saporis peramari, in aqua limpide solubile, combustum cinerem coloris viridis relinquens.

Centimetra cubica 10 solutionis Extracti aquosae (1=10) filtratae ne statim turbentur additis centimetris cubicis 5 spiritus vini.

Extractum Viburni fluidum.

Rp: **Corticis Viburni** (IV) *partes* 100.

Humecta aequabiliter cum miscella e

Spiritus Vini *partibus* 15
Aquae *partibus* 30.

Ceterum procedatur, adhibendo liquore aequali, ut praescriptum est in articulo „Extracta fluida“.

Quantitas Extracti obtenti sit partium 100.

Liquor coloris e rubro fusci, odoris peculiaris subvalerianici, saporis amari et adstringentis, ponderis specifici 1·02—1·08, cum aqua mixtionem turbidam praebens.

Solutio aquosa (1 = 10) addita solutione ferri sesquichlorati demittat praecipitatum viride, addita solutione iodi cum kalio iodato fuscum.

100 Extracti partes ad siccum evaporatae residui minime partes 15 relinquant.

Ferrum carbonicum saccharatum.

Rp: **Natrii carbonici** *partes* 60.
Solve in
Aquae bullientis *partibus* 240.
Adde
Mellis depurati *partes* 10.
Solutioni fervidae filtratae sensim sensimque admisce
Ferri sulfurici praecipitati *partes* 50.

Praecipitatum inde ortum seponatur, liquor supernatans siphonis ope abstrahatur et sedimentum, ab aëre quantum fieri potest remotum aqua bulliente tamdiu, abstrahendo denuo liquidum eluatur, donec aqua lotoria baryo nitrico vix turbetur. Tum sedimentum linteo collectum statim fortissime exprimatur et in patinam porcellaneam ingeratur continentem

Sacchari Lactis (VI) *partes* 10
Sacchari (V) *partes* 30.

Miscellam in balneo aquae sub continua agitatione celeriter siccatam in pulverem redige et ei admisce

Sacchari (V) *q. s.*
ut pondus pulveris totius sit *partium* 100.

Ferrum carbonicum saccharatum sit pulvis coloris e griseo viridis, saporis dulcis et ferruginei. Aëri expositus tempore colorem rubro-fuscum accipit et tum reiiciatur.

In acido hydrochlorico vehementer effervescens solvatur in liquorem coloris e viridi flavi, qui aqua dilutus additis et kalio ferrocyanato et kalio ferricyanato solutis sedimentum caeruleum deponat.

Solutio aquosa ope acidi hydrochlorici effecta (1 = 50) addita solutione baryi nitrici vix turbetur.

Solve Ferri carbonici saccharati gramma 1 in centimetris cubicis 10 acidi sulfurici diluti, adde kalii hypermanganici soluti quantum satis, ut solutio praebeat per aliquot tempus colorem subrubicundum. Liquori tum decolorato adde kalii iodati grammata 2 et sepone per horam in lagena obturata temperatura ordinaria. Tum titra cum solutione natrii thiosulfurici decinormali. Ut iodum liberum evanescat, huius solutionis consumantur centimetra cubica 17 ad 17·8 respondentia partibus 9·5—10 ferri in partibus 100 praeparati.

Ferrum citricum chiniatum.

Chininum ferro-citricum.

Rp: Acidi citrici *partes* 60.
Solve in
Aquae *partium* 5000.

Adde

Ferri pulverati *partes* 30.

Miscellam digere saepius agitando in balneo aquae, donec reactio cessaverit, adhuc calidam filtra et ad consistentiam syrupi tenuioris evapora. Refrigeratae admisce chininum adhuc humidum et optime lotum recenter paratum e

Chinini sulfurici *partibus* 13·5

ope acidi sulfurici in aqua solvendo et praecipitando natrio hydrooxydato soluto.

Solutione peracta liquidum, in patina porcellanea tenuioribus stratis illinitum leni calore a luce remotum sicca.

Lamellae nitidae, diaphanae, coloris e rubro fusci, saporis amari et ferruginei, in aqua lente quidem sed omni proportione, in spiritu vini paulum solubiles.

Solutio aquosa acido hydrochlorico acidulata et kalio ferrocyanato et kalio ferricyanato praecipitatum caeruleum demittit.

Quodsi cum solutione aquosa, additis guttis nonnullis natrii hydrooxydati soluti, aether aequali volumine conquassando miscetur et a strato aquoso seiunctus ad siccum evaporatur, residuum exstans in aqua acido hydrochlorico acidulata solutum aqua chlori succedente ammonia colore viridi inficitur.

Quodsi grammata 3 Ferri citrici chiniati cum centimetris cubicis 12 aquae mixta adiecto natrio hydrooxydato tanto, ut reactio miscellae fortiter alcalina evaserit ternis vicibus cum centimetris cubicis 20 aetheris conquassaveris, aether seiunctus et collectus evaporando residuum relinquat, quod temperatura 100° siccatum minime centigrammata 27 chinini efficiat.

Chininum modo descripto e Ferro citrico chiniato elaboratum in spiritu vini solutum, exacte cum acido sulfurico diluto neutralisatum et dein evaporando in chininum sulfuricum transformatum praescriptionibus pharmacopoeae respondeat.

Gramma Ferri citrici chiniati in fictili porcellaneo acido nitrico humectatum, leni calore evaporatum et residuum usque ad combustionem completam carbonis candefactum ne minus quam decigrammata 3 ferri oxydati relinquat, quod in aqua plane insolubile sit et chartam exploratoriam rubram ne mutet.

Servetur a luce remotum.

Ferrum hydrooxydatum dialysatum liquidum.

Dialyseos ope ex ferro sesquichlorato basico paratum exhibeat liquorem limpidum, coloris intense rubri, reactionis neutrius, saporis leniter adstringentis, qui, gutta acidi sulfurici diluti adiecta continuo in gelatinam abeat ferro hydrooxydato efformatam. Pondus specificum sit 1·037—1·040.

Centimetra cubica 5 huius praeparati cum aequali volumine acidi nitrici diluti calefacta, donec solutio limpida subflava evaserit, centimetris cubicis 3·5 solutionis argenti nitrici volumetrici additis liquorem praebeant, qui filtratus guttis aliquot solutionis argenti nitrici additis non amplius turbetur.

Centimetra cubica 2 praeparati adiectis centimetris cubicis 3 solutionis stanni chlorati inter horam colorem obscuriorem ne accipiant.

Grammata 2 Ferri hydrooxydati dialysati liquidi cum acido hydrochlorico diluto calefaciendo soluta, dein refrigerata et adiectis decigrammis 5 kalii iodati per horam seposita minimum centimetra cubica 12·3 solutionis natrii thiosulfurici decinormalis requirant, ut iodum liberatum iungatur.

Ferrum lacticum.

Crustae e viridi albae vel pulvis crystallulos aciculares sistens, odoris debilis peculiaris, assidue agitando in lagena clausa lente in 40 circiter partibus aquae frigidae, in partibus 12 aquae fervidae colore e viridi flavo, haud in spiritu vini solubilis, calefactus carbonescens odorem caramelum monentem emittens.

In solutione aquosa, reactionis acidae solutio kalii ferricyanati praecipitatum intense caeruleum, solutio kalii ferrocyanati praecipitatum albido-caeruleum efficit.

Solutio aquosa (1 = 50) nec solutione plumbi acetici neve, acido hydrochlorico acidulata aqua hydrosulfurata plus quam albide opalescenter turbetur; solutio eadem acido nitrico acidulata adiecta solutione baryi nitrici vel argenti nitrici ne nisi opalescenter turbetur.

Centimetra cubica 30 huius solutionis additis centimetris cubicis 3 acidi sulfurici diluti per aliquot minuta cocta, dein natrio hydrooxydato soluto supersaturata filtratum praebeant, quod calefaciendo cum solutione cupri tartarici alcalina praecipitatum rubrum ne deponat.

Ferrum lacticum cum acido sulfurico contritum nec aliquid gasis emittat nec inter semihoram colorem fuscum adsumat.

Decigrammata 5 Ferri lactici et kalii chlorati in fictili porcellaneo cum centimetris cubicis 3 acidi hydrochlorici mixta peracta reactione in balneo aquae evaporantur; residuum in centimetris cubicis 2 aquae solutum et filtratum additis centimetris cubicis 3 solutionis stanni chlorati inter horam colorem obscuriorem ne accipiat.

Gramma salis, acido nitrico humectatum et post exsiccationem caute ignitum minime centigrammata 27 ferri oxydati relinquat, quod aquae fervidae nihil solubilis impertiat.

Servetur in vase a luce remoto.

Ferrum oxydatum saccharatum.

Rp: **Natrii carbonici crystallisati** *partes* 15.
Solve in
Aquae *partibus* 30.
Haec solutio admittitur sensim sensimque continue agitando et refrigerando
Ferri sesquichlorati soluti *partibus* 30.
Liquori diluto cum
Aquae frigidae *partibus* 600
admisce solutionem refrigeratam
Natrii carbonici crystallisati *partium* 15
Aquae *partium* 600.

Tum miscella seponatur et liquor limpidus accurate decantetur. Praecipitatum inde obtentum eluatur aqua frigida repetita sepositione, donec reactio acidi hydrochlorici plane disparuerit.

Praecipitato panno linteo collecto, perfecte loto et leniter expresso admisce in patina porcellanea

Sacchari (V) *partes* 25
Natrii hydrooxydati soluti *partes* 3
calefaciendo in balneo aquae.
Massae liquefactae admisce:
Sacchari (V) *partes* 70
et continua agitatione ad siccitatem evapora.

Sit pulvis fusco-ruber, saporis dulcis. Grammata 100 eius contineant minime decigrammata 28 ferri. Pars 1 Ferri oxydati saccharati soluta in partibus 20 aquae fervidae praebeat liquorem limpidum coloris e rubro fusci, reactionis vix alcalinae, qui addito kalio ferrocyanato soluto ne mutetur, accedente acido hydrochlorico diluto primo colorem sordide viridem, tum caeruleum induat.

Solutio aquosa (1 = 20) cum abundante acido nitrico diluto calefacta et iterum refrigerata addita solutione argenti nitrici solum opalescat.

Ferri oxydati saccharati gramma 1 solve in centimetris cubicis 10 acidi sulfurici diluti, adde kalii hypermanganici soluti q. s., ut solutio praebeat per aliquot tempus colorem subrubicundum. Liquori tum decolorato adde kalii iodati gramma et sepone per horam in lagena obturata temperatura ordinaria. Tum titra cum solutione natrii thiosulfurici decinormali. Ut iodum liberum evanescat, huius solutionis consumantur centimetra cubica 5—5·4, respondentia partibus 2·8—3 ferri in partibus 100 praeparati.

Ferrum pulveratum.

Pulvis subtilissimus, ponderosus, nitoris metallici, coloris grisei, magnete attrahitur et in acido hydro-

chlorico sive sulfurico exiguo residuo relicto solvitur; hydrogenium simul emissum chartam bibulam, solutione plumbi acetici humectatam, ne statim colore obscuriore inficiat. Haec solutio et cum magno volumine aquae diluta adiecta solutione kalii ferricyanati praecipitatum intense caeruleum exhibeat.

Solutio hydrochlorica nec aqua hydrosulfurata colorem recipiat nigricantem, nec, postquam ferrum acido nitrico oxydatum et ammonia abundante praecipitatum fuerit, liquorem praebeat, qui filtratus ammonio hydrosulfurato turbetur.

Decigrammata 2 Ferri pulverati et kalii chlorici in fictili porcellaneo cum centimetris cubicis 2 acidi hydrochlorici mixta peracta reactione in balneo aquae evaporantur; residuum in centimetris cubicis 2 acidi hydrochlorici solutum et filtratum additis centimetris cubicis 3 solutionis stanni chlorati inter horam colorem obscuriorem ne accipiat.

Gramma Ferri pulverati in centimetris cubicis circiter 50 acidi sulfurici diluti solvitur, solutio ad centimetra cubica 100 diluitur. Huius solutionis centimetra cubica 10 cum solutione kalii hypermanganici (1 = 1000) miscentur, donec mixtio rubefierit. Miscella sua sponte vel adiectis nonnullis guttis spiritus vini decolorata, additis grammis 2 kalii iodati per horam in vase clauso seposita minime centimetra cubica 17·5 solutionis natrii thiosulfurici decinormalis exposcat, ut iodum liberatum iungatur.

Ferrum reductum.

Pulvis e cinereo nigricans, nitoris expers, pressus metalli splendorem recipiens, magnete attrahitur, in

acidis dilutis, hydrochlorico et sulfurico, fere plane solvitur hydrogenio emisso; charta bibula plumbo acetico soluto humectata ne statim fuscescat.

Haec solutio et magno volumine aquae diluta adiecta solutione kalii ferricyanati praecipitatum intense caeruleum exhibet. Ceterum solutio hydrochlorica ad reagentia eandem, quae ferro pulverato respondet, rationem praebeat.

Grammata 2 Ferri reducti cum centimetris cubicis 10 aquae conquassata filtratum exhibeant, quod colorem chartae exploratoriae ne mutet neve evaporatum residuum ponderabile relinquat.

Decigrammata 2 Ferri reducti et kalii chlorici in fictili porcellaneo cum centimetris cubicis 2 acidi hydrochlorici mixta, peracta reactione in balneo aquae evaporantur; residuum in centimetris cubicis 2 acidi hydrochlorici solutum et filtratum additis centimetris cubicis 3 solutionis stanni chlorati inter horam colorem obscuriorem ne accipiat.

In miscellam e decigrammis 3 Ferri reducti cum centimetris cubicis 10 solutionis kalii iodati decigrammata 15 iodi contriti refrigerando et agitando ingeruntur, ferro et iodo plane soluto liquor ad centimetra cubica 100 dilutus seponitur. Centimetra cubica 50 huius solutionis limpidae ne plus quam centimetra cubica 10·3 solutionis natrii thiosulfurici decinormalis requirant, ut iodum adhuc liberum iungatur.

Ferrum sesquichloratum crystallisatum.

Massa crystallina flava, in aëre liquescens, in aqua, spiritu vini et aethere plane solubilis; vix acidum hydro-

chloricum redoleat. Solutio aquosa kalio ferrocyanato soluto praecipitatum caeruleum, argento nitrico album, caseosum, ammonia abundante gelatinosum e rubro fuscum gignit. Liquor ex hoc praecipitato filtrando obtentus, coloris expers, evaporatus et candefactus residuum ne relinquat, nec admixto dimidio volumine acidi sulfurici concentrati et dein caute superinfusa solutione ferri sulfurici eo plano, quo inter se liquores contingunt, zonam fuscam efficiat.

Miscella e centimetris cubicis 2 solutionis Ferri sesquichlorati (1 = 10) cum centimetris cubicis 3 solutionis stanni chlorati inter horam colorem obscuriorem ne accipiat.

Ferrum sesquichloratum solutum.

Rp: **Ferri sesquichlorati crystallisati** *partem* 1.
Solve in
Aquae *parte* 1.

Sit liquor limpidus coloris flavo-fusci, ponderis specifici 1·28—1·29; contineat in 100 partibus 10 partes ferri. Examinetur quod attinet ad puritatem ut ferrum sesquichloratum crystallisatum.

Serva a luce remotum.

Ferrum sulfuricum praecipitatum.

Rp: **Ferri in filis** *partes* 100.
Superaffunde miscellam ex
Acidi sulfurici concentrati *partibus* 175
Aquae *partibus* 400.
Solutionem adhuc calidam filtra continue agitando in
Spiritus Vini *partes* 300.

Sedimentum hinc ortum, sistens farinam crystallinam, statim collige in filtro et elue spiritu vini tamdiu, donec reactio acida disparuerit; tum exprime et temperatura ordinaria in charta bibula celeriter sicca.

Sit farina crystallina, coloris pallide subcaeruleo-viridis, limpide solubilis in partibus 2 aquae.

Solutio aquosa (1 = 20) sit reactionis fere neutrius; addita solutione kalii ferricyanati praecipitatum caeruleum, addita solutione baryi nitrici album acido hydrochlorico insolubile praebeat.

Ferri sulfurici praecipitati grammata 2 soluta in centimetris cubicis 20 aquae et ope acidi nitrici oxydata, adiecta ammonia praecipitata, post filtrationem liquorem exhibeant, qui addita aqua hydrosulfurata ne mutetur nec evaporatus et ignitus residuum ponderabile relinquat.

Flores Arnicae.

Arnica montana L., planta perennnis indigena, in pratis montanis silvaticis sat frequens.

Anthodia magna radiata luteo-aurantiaca, peranthodio polyphyllo, biseriali, flosculis radii ligulatis ad 2·5 centimetra longis, 4 millimetra circiter latis, tridentatis, 7—9 nerviis, disci tubulosis quinquedentatis, acheniis subcylindricis asperis, pappo piloso uniseriato rigido coronatis, receptaculo convexo foveolato, foveolis pilis brevibus albidis circumdatis et singulis setis validioribus praeditis, odoris exigui aromatici, saporis subacris, amariusculi.

Anthodia perfecte explicata colligenda et siccata a larvis nigris *Trypetae arnicivorae* libera serventur.

10*

100 partes mercis ne minus quam 16 partes extracti spirituosi exhibeant et combustae ne plus quam partes 8 cineris relinquant.

Anthodia similia specierum nonnullarum *Aronici* et *Doronici* distinguuntur praesertim flosculis ligulatis radii quatuornerviis.

Flores Caryophylli.

Caryophylli.

Eugenia caryophyllata Thunberg, arbor in insulis Moluccis indigena, nunc inter tropicos fere totius orbis culta.

Flores inexplicati siccati hypanthio compressiusculo obsolete tetragono, deorsum attenuato, 10—15 millimetra longo, ad 4 millimetra crasso, dense minutim rugoso, coloris ferruginei, laciniis calycis 4 ovatis concavis patentibus rigidis coronato, in superiore parte germen biloculare fovente, corolla tetrapetala clausa, petalis cohaerentibus in formam calyptrae rotundato-tetragonae coloris flavido-fusci, stamina plura et stylum subulatum operientis.

Caryophylli, odoris grate aromatici, saporis acris condimentarii, abundant magna proportione olei aetherei. Imprimis tela hypanthii peripherica in sectione transversali et longitudinali sub lente exhibet cavernas copiosas sphaericas amplas oleo aethereo repletas.

Sint Caryophylli ponderosi, integri, coloris supra descripti, odoris et saporis vehementis, triti oleum aethereum sudantes.

Pulvis Caryophyllorum, microscopio exploratus, eminet parenchymate coloris fusci, quod amylo ex toto

caret et solutione ferri sesquichlorati colorem intense caeruleum trahit; fibris libri sat brevibus fusiformibus, valde incrassatis, plerumque solitariis; vasis spiralibus et scalaribus angustissimis; crystallis permultis parvis stellatis calcii oxalici plerumque in cellulis leptodermis per longitudinem aggregatis; cellulis pollinis triquetris.

Ne contineat pulvis grana amyli, nec cellulas sclereïdeas nisi perpaucas, nec vasa scalaria aut scalari-reticulata ampliora, nec crystallos calcii oxalici simplices. Ne sit inquinatus admixto pulvere aliarum plantarum.

100 partes ne plus quam partes 8 cineris viridescentis relinquant.

Flores Chamomillae Romanae.

Anthemis nobilis L., planta perennis, in Europa meridionali et occidentali indigena, apud nos frequenter culta.

Anthodia varietatis cultae plerumque plena siccata flosculis plurimis ligulatis albis, tubulosis in centro paucissimis flavis, peranthodio imbricato, receptaculo conico medulloso, paleis spatulato-cymbiformibus duplicato-serratis obsito, odoris aromatici peculiaris, saporis aromatici et peramari.

100 partes mercis ne plus quam partes 6 cineris relinquant.

Ne commutentur anthodiis plenis varietatis *Chrysanthemi Parthenii* (Pers.), in hortis frequenter cultae, receptaculo nudo distinctis.

Flores Chamomillae vulgaris.

Matricaria Chamomilla L., planta annua, inter segetes et in ruderatis passim crescens.

Anthodia radiata multiflora siccata peranthodio imbricato, receptaculo conico nudo, cavo, 4—5 millimetra alto, 1·5 millimetrum lato, flosculis radii ligulatis albis, disci minimis tubulosis flavis, pappo nullo, odoris peculiaris fragrantis, saporis aromatici et amari.

100 mercis partes ne minus quam partes 15 extracti spirituosi praebeant et combustae ne plus quam partes 13 cineris relinquant.

Ne commutentur anthodiis *Chrysanthemi Parthenii* (Pers.) et *Chrysanthemi inodori* (L.), receptaculo medulloso, nec anthodiis *Anthemidis Austriacae* (Jacq.), *Anthemidis arvensis* (L.) et *Anthemidis Cotulae* (L.), receptaculo praeterea paleis obsito facile dignoscendi.

Flores Cinae.

Artemisia Cina Berg, planta suffruticosa in Turkestania crescens.

Anthodia pauciflora clausa siccata oblongo-subprismatica, subgibbosa, coloris subviridi-fuscescentis, 3—4 millimetra longa, subglabra, subnitida, peranthodii foliolis numero 12—18 subimbricatis, inferioribus ovatis, superioribus oblongis late membranaceo-marginatis, dorso carinatis et glandulis globosis vel subglobosis aureis inspersis.

In superficie externa foliolorum peranthodii, ad eorum carinam, ope microscopii observantur pili rari longi collapsi taeniaeformes serpentini una cum glan-

dulis supra nominatis pluricellularibus, cellulis binis in 2—3 ordines suprapositis, nec non crystalli decolores prismaticae et tabulaeformes substantiae ex oleo aethereo glandularum demissae.

Odoris sunt Flores Cinae peculiaris, haud grate aromatici, saporis amari et aromatici.

100 partes mercis ne plus quam partes 10 cineris relinquant.

Flores Croci.

Crocus.

Crocus sativus L., planta tuberosa in Oriente indigena, in variis Europae partibus, imprimis in Gallia et Hispania culta.

Stigmata terna floris e stilo filiformi orta subarcuata tubulosa, ad 3 centimetra longa, sursum dilatata, hic 3—4 millimetra lata, margine superiore crenulato lutescente, siccata rigida fragilia, glaberrima, subnitida, saturate fusco-rubra.

Merx sistit stigmata singula defracta aut adhuc particula stili flavi coniuncta, acervum levem laxumque constituentia.

Est Crocus odoris peculiaris fragrantis, saporis amari condimentarii subacris, salivam colore aurantiaco tingens.

Centigramma Croci praebeat litris aquae 3 adhuc colorem belle flavum.

Ne contineat merx plus quam partes 12 aquae in partibus 100. Combusta e 100 partibus ne plus quam 7 partes cineris relinquat.

Quodsi conspergis pulverem Croci gutta acidi sulfurici concentrati color pulchre caeruleus oritur, qui cito in obscure violaceum, tum rubro-fuscum transit.

Ne sit merx inquinata staminibus aut antheris Croci, floribus Calendulae, Carthami aut aliis partibus vegetabilibus in merce aqua macerata forma singulari facile dignoscendis.

Servetur Crocus a luce remotus.

Flores Koso.

Hagenia Abyssinica Willdenow, arbor in Abyssiniae montibus indigena.

Paniculae femineae defloratae siccatae ramosissimae, multiflorae, bracteatae, villosae, floribus bibracteolatis, bracteolis subrotundis, integerrimis, membranaceis reticulato-venosis, rubescentibus ut sepala in 2 circulis margine hypanthii brevis turbinati inserta, quorum 5 aut 4 exteriora oblonga erecto-patentia circiter ter longiora sunt interioribus 5 vix 3 millimetra longis. Saporis sunt nauseoso-subamari, adstringentis et acris.

Merx occurrit in fasciculis subcylindricis circa 5 decimetra longis, culmis Cyperi articulati spiraliter circumvolutis. Vetusta, bracteis sepalisque coloris fusci, vix rubescentis reiiciatur aeque ac merx sistens aut continens flores masculos admixtos dignoscendos sepalis exterioribus multo minoribus interioribus et antheris fertilibus.

Flores a ramis crassioribus liberati in vase bene clauso luci impervio serventur. Pulvis ex tempore paretur.

100 eius partes ne plus quam partes 6 cineris relinquant.

Flores Lavandulae.

Lavandula officinalis Chaix, fruticulus Europae australis, in nostris hortis frequenter cultus.

Flores ante perfectam anthesin collecti et siccati caerulei, calyce cylindrico, 5 millimetra longo, striato, quinquedentato dente supremo maiore erecto lobuliformi, denticulis 4 brevissimis, tomento cinereo e pilis verticillato-ramosis verrucosis, intermixtis glandulis subglobosis oleo aethereo repletis, corolla bilabiata, tubo calyce longiore, labio superiore obcordato-bifido maiore labio inferiore aequaliter rotundato-trilobo. Odoris sunt suaviter fragrantis, saporis amari.

Sit merx libera ab intermixtis fragmentis caulis, foliorum et aliis quisquiliis. 100 partes eius ne plus quam 8 partes cineris relinquant.

Flores Malvae.

Malva silvestris L., vide: *Folia Malvae.*

Flores sub plenaria anthesi decerpti et siccati, calyce involucrato quinquefido, pilis maioribus furcatis et minoribus stellatis induto, involucro triphyllo foliolis oblongis setosis, corolla pentapetala, quadruplo calyce longiore, petalis obovatis, emarginatis, breviter unguiculatis, violaceis, basi albido-barbellatis, staminibus plurimis monadelphis, tubo filamentorum cum basi unguiculata petalorum connato, germine orbiculato, depresso, multiloculari.

Partes 100 mercis ne plus quam partes 15 cineris relinquant.

Flores Rhoeados.

Papaver Rhoeas L., planta annua indigena notissima.

Petala, in flore numero 4, bina maiora, semiorbiculata, integerrima, phoenicea, tenerrime venosa, odoris debilis narcotici, siccata tenuissima, fere diaphana, sordide violacea, saporis amariusculi, submucilaginosi.

100 partes mercis ne plus quam partes 5 cineris relinquant.

Flores Rosae.

Rosa Gallica L., suffrutex in silvis montosis Europae mediae et meridionalis indigenus, in hortis in formis numerosis frequentissime cultus.

Petala formae cultae floribus semiplenis adhuc inexplicatis sedulo siccata obovata aut late cordata, coloris purpurei, odoris grati peculiaris, saporis adstringentis.

100 partes mercis ne plus quam partes 3·5 cineris albi relinquant.

Flores plane siccati in vasis bene obturatis, luci imperviis serventur.

Flores Sambuci.

Sambucus nigra L., arbor notissima indigena.

Cymae plerumque quinqueradiatae multiflorae planae, corollis epigynis minutis rotato-quinquefidis, ex albo luteolis, siccatione magis flavescentibus, staminibus 5, stigmatibus sessilibus, odoris peculiaris haud grati.

Flores sereno coelo colligendi et resectis cymis celeriter siccandi. Nigrescentes reiiciendi.

100 partes mercis ne plus quam partes 8 cineris albi relinquant.

Flores Tiliae.

Tilia platyphyllos Scopoli et *Tilia ulmifolia* Scopoli, arbores indigenae notissimae.

Cymae tri- ad novemflorae pedunculo 6—8 centimetra longo usque ad dimidiam partem connato cum bractea lineari-oblonga obtusa, integerrima, membranacea, reticulato-venosa, glabra, pallide e viridi subflava, calyce pentaphyllo, tomentoso, deciduo, petalis 5 spatulatis, glabris, pallide lutescentibus, staminibus plurimis liberis, albidis, corollam vix superantibus, ovario globoso.

Siccatae in vase bene clauso nec ultra annum servandae. Odor recentium suavissimus, siccatorum multo debilior, sapor dulciusculus et mucilaginosus.

100 partes mercis ne plus quam partes 8 cineris viridescentis relinquant.

Flores Verbasci.

Verbascum phlomoides L., planta biennis indigena vulgaris.

Corollae rotatae, 3—4 centimetra in diametro, brevissime tubulatae, limbo inaequaliter quinquepartito, lobis 2 superioribus minoribus 3 inferioribus, medio maximo, belle luteae, extus albido-tomentosae pilis verticillato-ramosis, staminibus tubo insertis 5 inaequalibus, 3 superioribus brevioribus albido-villosis pilis longis clavatis unicellularibus leptodermis, sphaerites coloris lutei substantiae in aqua solubilis continentibus, antheris horizontalibus, 2 inferioribus longioribus subglabris, antheris longe decurrentibus.

Odor Florum recentium est ingratus, siccatorum suavis melleus, sapor subdulcis et mucilaginosus.

100 partes mercis ne plus quam partes 6 cineris relinquant.

Sicco coelo corollae a calycibus liberatae colligendae, ad fragilitatem usque siccatae in vasis antea calefactis bene obturandis servandae.

Folia Althaeae.

Althaea officinalis L., planta perennis indigena, in provinciis australioribus ad vias, fossas, in sepibus humidiusculis frequens, passim culta.

Folia petiolata subcordato-ovata vel cordato-lanceolata triloba lobis acutis, obsolete triloba vel sub-quinqueloba, palmatim quinque- aut trinervia, inaequaliter crenato-dentata, crassiuscula, holosericeo-mollia e subgriseo vel e flavescente viridia in utraque pagina tomento denso e pilis magnis stellatis tecta intermixtis glandulis breviter clavatis vel turbinatis cellula basilari discoïdea et capitulo e cellulis compluribus, binis in 2—3 ordines suprapositis, repletis substantia solutione kalii hydrooxydati colore citrino solubili.

Colligantur Folia inodora, saporis mucilaginosi aestate florente planta et siccata adhibeantur.

Partes eorum 100 ne plus quam partes 15 cineris relinquant.

Folia Aurantii.

Citrus Aurantium L. subspecies *amara*, arbor in regionibus calidis totius orbis culta.

Folia, cum petiolo late alato obovato vel obcordato articulata, ovato-oblonga, acuta, integerrima aut repando-

crenato-subserrata, pellucide punctata, glabra, coriacea, saturate viridia, siccatione pallida, rigida, tenacia, odoris debilis grate aromatici, saporis subamaro-aromatici, subadstringentis.

Ope microscopii observantur: cellulae epidermidis in utraque pagina folii parvae polygonae, stomata solum in pagina inferiore, singula cincta nonnullis cellulis accessoriis; mesophyllum dorsiventrale strato pluriseriali e cellulis paliformibus elongatis, cavernis amplis sphaericis oleo aethereo repletis nec non crystallis solitariis calcii oxalici, sacculo e substantia cellulosa immissis, quarum aliae maiores praesertim in cellulis subepidermalibus amplioribus, aliae minores in fibris leptodermis loculatis fasciculis vasorum adiunctis reperiuntur.

100 partes mercis ne plus quam partes 15 cineris relinquant.

Folia Belladonnae.

Atropa Belladonna L., planta perennis, in Europae fere totius nemoribus, imprimis montanis, crescens.

Folia ovata, elliptica aut ovato-oblonga, acuta, vel acuminata, in petiolum desinentia, usque ad 3 decimetra longa, integerrima, tenuia, tactu mollia, superne obscure vel e subfusco viridia glabra, subtus pallidiora, glabriuscula, siccata, sicut adhibeantur, in utraque pagina propter cellulas crystalligeras mesophylli tuberculis perpusillis albidis sub lente plane distinguendis conspersa, saporis amariusculi subacris.

Ope microscopii observantur: cellulae epidermidis in utraque folii pagina undulato-sinuatae cuticula undulato-plicata, stomata singula plerumque cincta 3 cellulis accessoriis; pili simplices pluricellulares leptodermi

collapsi taeniaeformes, pili capitati longiores et breves capitulo uni- aut pluricellulari subsphaerico aut conico; mesophyllum dorsiventrale strato uniseriali e cellulis paliformibus sat brevibus et utriculis numerosis repletis pulvere crystallino calcii oxalici.

100 partes Foliorum Belladonnae ne minus quam partes 15 extracti spirituosi praebeant. Eadem quantitas Foliorum ne plus quam partes 15 cineris relinquat.

Folia e planta florifera decerpenda, cito siccanda et in vase bene clauso nec ultra annum servanda.

Folia Digitalis.

Digitalis purpurea L., planta biennis in montibus apricis Europae occidentalis sponte crescens, apud nos in hortis frequenter culta.

Folia ovata vel ovato-oblonga, infima in petiolum longum alatum decurrentia usque ad 3 decimetra longa, superiora minora breviter petiolata aut sessilia, omnia inaequaliter aut subduplicato-crenata, reticulato-venosa rugosa, nervis tertiariis prope paribus intervallis inter se distantibus in segmentis nervis secundariis arcuatis determinatis; superne obscure viridia, pubescentia, subtus tomento albo-griseo obtecta. Odoris sunt peculiaris debilis, saporis amari nauseosi.

Adhibeantur Folia e planta florescente collecta et sedulo siccata.

Microscopio observantur praesertim: in utraque folii pagina cellulae epidermidis magnae leptodermae undulato-sinuatae substellatae, stomata, pili simplices leptodermi collapsi, plerumque e cellulis 3—4, terminali apice obtusa, in superficie verruculosis aut striatulis et pili parvi capitati

pedunculo unicellulari sat brevi et capitulo orchidiformi e cellulis 2—3 subglobosis iuxtapositis; mesophyllum dorsiventrale strato e cellulis paliformibus inaequalibus, praesertim ad marginem folii brevibus. Cellulae mesophylli ex toto carent crystallis calcii oxalici, abundant materia tannica, solutione ferri sesquichlorati colore fusco-viridi tingenda.

Infusum Foliorum Digitalis (1 = 10) aquosum addita guttatim solutione acidi tannici sedimentum copiosum demittat.

100 Foliorum partes ne minus quam partes 30 extracti spirituosi efficiant. Eadem quantitas mercis combusta ne plus quam partes 10 cineris relinquat.

Folia Digitalis in vase bene clauso ne ultra annum servanda sunt.

Folia Farfarae.

Tussilago Farfara L., planta in solo argillaceo humido ubique vulgaris.

Folia, post anthesin pullulantia cuncta radicalia longius petiolata cordato-subrotunda, usque ad 10 centimetra lata, sinuato-angulato-denticulata denticulis cartilagineis purpurascentibus, palmatim 5—9 nervia, superne laete viridia, glabra, laevia, nitentia, subtus albo- aut griseo-tomentosa pilis longis flagelli- vel vermiformibus pluricellularibus cellula suprema valde elongata; mesophyllo dorsiventrali e cellulis repletis inulino saepe sub forma sphaeritum.

Folia sunt inodora, saporis mucilaginosi, subamaro-austeri. Siccata serventur. Ne relinquant e 100 partibus plus quam 20 partes cineris.

Folia Hamamelidis.

Hamamelis Virginiana L., arbor Americae septemtrionalis.

Folia siccata breviter petiolata ovali-rhomboïdea, obovata aut late ovata, obtusa, acuta aut acuminata, basi obliqua subcordata, 10—15 centimetra longa, inaequaliter grosse sinuato-crenata aut versus apicem grosse undulato-crenato-dentata, fusco-olivacea aut fusca, subtus pallidiora et praesertim in axillis nervorum pilis unicellularibus pachydermis stellatim confertis instructa. Folia iuniora minora subtus pilis ferrugineis dense tomentosa.

Nervus primarius emittit in utroque latere plerumque 5—6 nervos secundarios rectos, in dentibus marginis terminantes; in eorum segmentis nervi tertiarii prope paribus intervallis inter se distant.

Ope microscopii inveniuntur in mesophyllo dorsiventrali, instructo strato e cellulis paliformibus uniseriali cellulae pachydermae sclerenchymaticae multiformes, mirum in modum formatae, aliqua ex parte similes illis foliorum Theae.

Sunt Folia Hamamelidis inodora, saporis subausteri adstringentis.

Partes 100 mercis, cum spiritu vini diluto exhaustae, ne minus quam partes 20 extracti praebeant. Eadem quantitas Foliorum combusta ne plus quam partes 6 cineris relinquat.

Folia Hyoscyami.

Hyoscyamus niger L., planta annua et biennis in ruderatis obvia.

Folia basilaria in petiolum attenuata usque ad 3 decimetra longa, oblongo-ovata vel oblonga, acuta aut acuminata, plus minusve profunde sinuato-dentata aut pinnatifida, caulina semi-amplexicauli-sessilia minora, ovata, grosse vel sinuato-dentata, omnia tactu mollia viscido-villosa.

Colligenda sunt e planta spontanea florescente et siccata in vase bene clauso ne ultra annum servanda. Exsiccatione valde tabescunt, perfecte siccata sunt corrugatissima glaucescentia nervis albidis, odoris exigui nauseosi narcotici, saporis fatui ex amariusculo subacris.

Ope microscopii observantur in mesophyllo dorsiventrali strato uniseriali e cellulis paliformibus brevioribus cellulae crystallos calcii oxalici simplices, geminas aut sphaeriticas includentes. Pili sunt similes illis foliorum Stramonii.

Partes 100 mercis ne minus quam partes 18 extracti spirituosi praebeant; eadem quantitas combusta ne plus quam partes 20 cineris exhibeat.

Folia Iaborandi.

Pilocarpus Iaborandi Holmes, frutex Brasiliensis foliis impari-pinnatis 2—3 iugis, foliolis breviter petiolatis, exempto foliolo terminali longius petiolato, petiolo communi obsolete triquetro, superne canaliculato, pilis patentibus obsesso.

Foliola siccata ovata, oblonga, obovata vel lanceolata, apice emarginata, basi plerumque in petiolum brevem crassum contracta, 6—15 centimetra longa, integerrima margine revoluto, rigida, coriacea, minute pellucide punctata et saepe subtus fusco-punctulata; obscure viri-

dia, subglabra, subnitentia, nervo primario valido, nervos secundarios ansas formantes emittente.

In mesophyllo dorsiventrali, strato e cellulis paliformibus sat brevibus uniseriali reperiuntur cavernae amplae spheroïdeae oleo aethereo repletac epidermidi utriusque paginae approximatae et cellulae crystallum stellatam calcii oxalici includentes. Cellulae epidermidis sunt polygonae, stomata suborbicularia cincta 2—4 cellulis angustis accessoriis solum in pagina folii inferiore.

Odor Foliorum tritorum est modice aromaticus, sapor masticando acre aromaticus. .

100 partes mercis, ab immixtis ramulis et aliis quisquiliis liberatae ne plus quam partes 7 cineris relinquant.

Folia Iuglandis.

Iuglans regia L., arbor intcr cultas notissima.

Folia impari-pinnata 5—9 iuga foliolis brevissime petiolatis, exempto foliolo terminali maiori longius petiolato, ovalibus, ovato-oblongis, oblongis, acutis aut acuminatis integerrimis, saepe subrepandis, basi obliquis, quorum iuniora membranacea fusco-viridia in venarum axillis subtus barbata, glandulosa sunt, adulta crassiora subcoriacea saturate viridia, nitentia, laevia, subglabra. Nervus primarius emittit nervos secundarios aequales arcuatos, qui nervis tertiariis in distantiis paene aequalibus coniuncti sunt.

Folia sunt saporis amaricantis, subacris et adstringentis, odoris, si teruntur peculiaris balsamici.

Folia Iuglandis mense Iunio sereno et sicco coelo colligenda et foliola a petiolo communi soluta cito siccata serventur. Siccatione nigricantia reiiciantur.

100 partes Foliorum ne plus quam partes 10 cineris efficiant.

Folia Malvae.

Malva vulgaris Fries et *Malva silvestris* L. plantae indigenae vulgares.

Folia longissime petiolata cordato-orbicularia aut reniformia, 4—10 centimetra lata, sublobata vel 5—7-loba lobis obtusis, subduplicato-crenato-dentatis, 5—7-nervia, pilosiuscula, superne saturate viridia, subtus pallidiora, inodora, saporis mucilaginosi, e plantis florescentibus colligenda et siccata servanda.

100 partes ne plus quam partes 16 cineris relinquant.

Folia Melissae.

Melissa officinalis L., planta perennis, in Europa australi indigena, passim in hortis culta.

Folia longe petiolata, late ovata vel subcordata, centimetra 5 summum longa, grosse crenato-serrata, tenuia, supra saturate viridia, subrugosa, subtus pallidiora, sparsim pilosa et minute glandulosa, nervo primario utroque 3—6 nervos secundarios emittente, grate citriodora, saporis aromatici, amariusculi, subadstringentis.

Folia planta florescente collecta et siccata in vase bene clauso ne ultra annum serventur.

100 partes mercis ne plus quam partes 12 cineris relinquant.

Folia Menthae piperitae.

Mentha piperita L., planta perennis passim in hortis culta.

Folia petiolata petiolo 8 ad 10 millimetra longo, ovato-oblonga vel oblongo-lanceolata, acuta, basi in petiolum contracta, inaequaliter argute serrata, superne saturate viridia, subtus pallidiora, utrimque glabra vel solummodo ad nervos pubescentia, glandulosa, nervis secundariis arcuatis, odoris fragrantis, masticata primum caloris, dein frigoris sensum in ore et faucibus excitantia, e stirpe florescente decerpta siccanda nec ultra annum servanda.

Exploratione microscopica observantur: cellulae epidermidis undulato-sinuatae; stomata in pagina inferiore folii frequentissima singula plerumque cellulis 2 accessoriis instructa; pili rarissimi longiores et breves pluricellulares collapsi verruculosi aut striatuli; pili capitati parvi pedunculo et capitulo unicellulari hoc ovali aut globoso nec non glandulae bullosae oleiferae, plerumque subglobosae cellulis secretoriis 8 in verticillo et interdum crystallis mentholi in cavo secretorio. Mesophyllum dorsiventrale caret crystallis calcii oxalici.

100 partes mercis ne plus quam partes 12 cineris exhibeant.

Ne commutentur foliis aliarum Menthae specierum apud nos indigenarum aut in hortis cultarum sed diversi odoris et saporis ut foliis sessilibus aut subsessilibus notabiliter laete viridibus *Menthae viridis* (L.), aut foliis sessilibus subtus imprimis albido-tomentosis *Menthae silvestris* (L.).

Folia Rosmarini.

Rosmarinus officinalis L., frutex in Europa australi indigenus, apud nos non raro cultus.

Folia sessilia 2—3 centimetra longa, siccata linearia subacerosa, obtusa, margine integerrimo revoluta, superne convexa, glabra, medio sulcata, nitida, viridia, rugosa, subtus concava nervo primario prominente, albo- vel griseo-tomentosa pilis ramosis et glandulis oleiferis, crassa, rigida, odoris gravis aromatici, camphoracei, saporis aromatici, acris, amariusculi.

100 partes mercis ne plus quam partes 5 cineris relinquant.

Folia Salviae.

Salvia officinalis L., planta mediterranea, apud nos in hortis frequenter culta.

Folia petiolata, ima longe petiolata, oblonga, lanceolata vel ovalia, 5—7 centimetra longa, acuta vel obtusa, basi attenuata, rotundata aut subcordata, passim auriculata, margine crenulata, superficie aequaliter minutim venoso-rugosa, crassiuscula, albo- aut griseo-tomentosa vel superne subglabra, subtus griseo-tomentosa pilis simplicibus et unicellularibus plerumque arcuatis et 2—5 cellularibus longioribus articulatis aut subflagelliformibus sat pachydermis, intermixtis pilis capitatis minutis et glandulis vesiculosis sphaeroïdeis oleo aethereo repletis.

Odoris sunt peculiaris balsamici subcamphoracei, saporis amaro-aromatici et adstringentis.

Sub florum anthesi colligenda et siccata adhibeantur.
100 partes mercis ne plus quam partes 12 cineris relinquant.

Folia Sennae.

Cassia angustifolia Vahl, frutex in India orientali cultus foliis paripinnatis.

Foliola siccata, sub nomine *Sennae Indicae de Tinnevelly* in mercatura occurrentia, breviter petiolata, lanceolata vel lineari-lanceolata, basi inaequalia, apice mucronata, integerrima, usque ad 6 centimetra longa, rigida, fere membranacea, laete viridia, subglabra pilis sparsis parvis acutis unicellularibus membrana incrassata, cuticula grosse verrucosa instructis, nervo primario solitario, nervos secundarios arcuatos emittente.

In mesophyllo centrico stratis e cellulis paliformibus superiore et inferiore observantur crystalli calcii oxalici et stellatae et simplices, haec praesertim in fibris loculatis fasciculis vasorum arcte adiunctis nec non cellulae epidermidis polygonae, partim mucilaginiferae.

Partes 100 Foliorum Sennae ne plus quam partes 10 cineris exhibeant.

Folia Sennae praeparata.

Folia Sennae sine resina.

Rp:	**Foliorum Sennae** (II)	*partes*	100
	Spiritus Vini	*partes*	500.

Macera per triduum, exprime et sicca.

Folia Sennae praeparata sint coloris e fusco viridis. Cum decupla quantitate spiritus vini extracta ne praebeant plus quam partes 7 residui sicci e partibus 100, neque combusta ex eadem quantitate plus quam 11 usque ad 13 partes cineris.

Folia Stramonii.

Datura Stramonium L., planta annua inter plantas ruderales obvia.

Folia longe petiolata ovata, 10—15 centimetra longa, acuminata, inaequaliter sinuato-dentata dentibus acutis porrectis, laevia, nitida, subglabra, pilis sparsis collapsis pluricellularibus leptodermis in superficie verruculosis intermixtis pilis capitatis pedicello brevi unicellulari aut elongato pluricellulari et capitulo sphaerico aut obovato pluricellulari, superne saturate viridia, subtus pallidiora, in mesophyllo dorsiventrali strato uniseriali e cellulis paliformibus elongatis gracilibus cellulis gregatim congestis, singulis crystallum stellatam et aliis fasciculis vasorum proximis pulverem crystallinum calcii oxalici includentibus.

Folia colligenda sunt e planta florescente et siccata ne ultra annum servanda. Recentia sunt odoris narcotici, siccata fere inodora, saporis subamari nauseosi, subsalsi.

100 partes mercis ne plus quam partes 20 cineris relinquant.

Folia Taraxaci.

Taraxacum officinale Wiggers, planta cosmopolita in vulgus nota.

Folia radicalia lactescentia oblongo-lanceolata, in petiolum angustata, runcinata laciniis triangulatis acutis acuminatisve, dentatis aut integerrimis, lacinio terminali plerumque palaeformi, laevia, nitida, glabra, interdum subvillosa, inodora, saporis amari.

Colligenda vere ante scapi floriferi perfectam evolutionem et siccata adhibenda.

100 partes Foliorum ne plus quam partes 16 cineris exhibeant.

Folia Theae.

Thea Chinensis L., frutex in Indiae orientalis regno Assam indigenus, ibidem, in China nec non in Iaponia, Iava, Brasilia aliisque terris calidis sedulo cultus.

Folia diverse praeparata et siccata.

In officinis praesto sint folia optimae varietatis mercis sub nomine „Souchong“ notae, sistens folia maiora et minora plerumque exacte convoluta in frustula subfusiformia arcuata et curvata, fragilia, coloris e fusco nigricantis, odoris peculiaris grati.

Aqua fervida emollita et explicata frustula exhibent foliorum fragmenta ampliora aut folia subintegra oblonga vel oblongo-lanceolata in petiolum brevem attenuata, apice obtusa vel emarginata, margine hamato-serrulata apicibus denticulorum cartilagineis, subglabra pilis raris sparsis longis acutis unicellularibus, basi aduncis plus minusve pachydermis, in mesophyllo dorsiventrali praesertim ad fasciculos vasorum cellulis sclerenchymaticis valde incrassatis, mirum in modum formatis et in epidermide paginae folii inferioris stomatibus numerosissimis suborbicularibus, singulis cinctis 3—4 cellulis angustis accessoriis.

Infusum aquosum Foliorum Theae (1 = 10) sit limpidum, coloris aurei, odoris grate aromatici peculiaris, saporis amariusculi et modice adstringentis.

Ne contineant Folia Theae in partibus 100 plus quam partes 10 aquae neque plus quam partes 7 cineris, quarum circiter dimidium in acido hydrochlorico solubile sit. Partes 100 mercis minime partes 33 extracti aquosi praebeant.

Quodsi pauxillum Foliorum Theae contritorum in patinula vitrea obtecta tabula vitrea, caute calefeceris, brevi tempore in tabulae latere inferiore sublimando crystalli copiosae aciculares, plumosae aut prismaticae coffeïni appareant.

Partes 100 mercis contineant minime partes duas (2) coffeïni, quod subsequente ratione examines.

Foliorum Theae temperatura 100° siccatorum et contritorum grammata 6 extrahe conquassando in lagena idonea cum grammis 120 chloroformii admixtis centimetris cubicis 6 ammoniae. Elapsis nonnullis horis sepositionis filtra. Grammata 100 liquoris filtrati libera destillando a chloroformio, residuum solve in centimetris cubicis 3 alcoholis absoluti, solutionem evapora et residuum solve in miscella e centimetris cubicis 3 spiritus vini et centimetris cubicis 7 aquae. Admixtis solutioni centimetris cubicis 20 aquae filtra per filtrum aqua humectatum in patinam parvam vitream noti ponderis, evapora ad siccitatem, sicca in apparatu exsiccatorio et trutina examina. Pondus residui plane crystallini sit minime decigrammatis respondens partibus centesimis 2.

Cave ne sit merx adulterata foliis Theae iam antea in usum domesticum adhibitis nec foliis aliarum plantarum.

Folia Trifolii fibrini.

Menyanthes trifoliata L., planta perennis palustris indigena.

Folia ternata, longe petiolata petiolo vaginante, foliolis subsessilibus ovalibus vel obovatis 5—8 centimetra longis obtusis, integerrimis aut repando-subcrenatis, glabris, crassiusculis, laete viridibus, siccatis subtus nervum primarium praebentibus basi latum, collapsum, plerumque longitudinaliter plicatum, versus folioli apicem admodum decrescentem. Saporis sunt peramari.

Ope microscopii observantur praesertim cellulae epidermidis paginae folioli superioris regulariter polygonae, parte membranae externa hemisphaerice prominente; stomata singula circumdata cellulis 4 leptodermis subundulatis, plicis cuticulae radiatim a stomate dispositis; mesophyllum haud manifeste differentiatum maxima ex parte constans e merenchymate grosse spongioso; fasciculi vasorum vagina e cellulis maioribus parenchymaticis decoloribus circumdati. Folia ex toto carent trichomis.

100 mercis partes ne minus quam 23 partes extracti aquosi exhibeant et combustae ne plus quam partes 10 cineris subviridis relinquant.

Folia Uvae ursi.

Arctostaphylos officinalis Wimmer et Grabowski, fruticulus sempervirens, in montibus calcareis Europae crescens.

Folia obovata vel spatulata, 12—15 millimetra longa, apice obtusa aut rotundata, in petiolum brevem attenuata,

integerrima margine subdiaphano-cartilagineo plano vel subrevoluto, ciliato aut saepius glabro, utrimque laevia, nitentia, glaberrima, reticulato-venosa nervis subtus prominentibus, superne depressis, crassa, coriacea, rigida, saturate viridia, subtus paulum pallidiora, inodora, saporis adstringentis et subamari.

Siccata serventur nec dispensentur nisi concisa (II).

Ope microscopii observabis: cellulas epidermidis polygonas; stomata plerumque bina usque quina gregatim approximata singula circumdata cellulis angustis accessoriis solum in pagina folii inferiore; mesophyllum dorsiventrale strato pluriseriali e cellulis paliformibus brevibus continens in cellulis plurimis substantiam tannicam una cum granulis amyli, in permultis crystallos simplices calcii oxalici, quae et reperiuntur in fibris leptodermis loculatis fasciculos vasorum, abundantes elementis prosenchymaticis valde incrassatis comitantibus.

Pulvis Foliorum humectatus solutione ferri sesquichlorati colorem viride caeruleum accipit.

Liquor obtentus maceratione Foliorum cum aqua (1 = 50) addito granulo ferri sulfurici sedimentum violaceum demittit. 100 Foliorum partes ne relinquant plus quam partes 4 cineris.

Ne confundantur foliis *Vaccinii Vitis Ideae* (L.) margine remote serrulatis, subtus fusco-punctatis, neque foliis *Vaccinii uliginosi* (L.) membranaceis, subtus glaucis.

Formaldehydum solutum.

Liquor aquosus decolor, limpidus, odoris peculiaris pungentis, reactionis neutrius aut subacidae. In balneo aquae evaporatus massam amorpham albam, in aqua insolubilem relinquit, quae calefacta sine residuo evanescit; cum ammonia superabundante mixtus et in balneo aquae evaporatus residuum crystallinum, in aqua facillime solubile relinquit, quod in tubulo probatorio calefactum pulcherrime sublimat.

E solutione argenti nitrici ammoniacali Formaldehydum solutum argentum metallicum et e solutione alcalina cupri tartarici fervefacta cuprum oxydulatum deponit.

Formaldehydum solutum, partibus 4 aquae dilutum nec mutetur addita aqua hydrosulfurata nec adiectis solutionibus baryi nitrici aut argenti nitrici.

Centimetrum cubicum Formaldehydi soluti addita gutta solutionis acidimetricae normalis ne reactionem acidam praebeat.

Quodsi mixturae e centimetris cubicis 50 solutionis natrii hydrooxydati normalis cum centimetris cubicis 3 Formaldehydi soluti in cucurbita vitrea alta sensim sensimque addideris centimetra cubica 100 solutionis hydrogenii hyperoxydati neutrius et expectaveris, quamdiu e mixtura vesiculae gasis oriuntur, ne plus quam centimetra cubica 10 acidi sulfurici normalis consumantur ad perficiendam reactionem neutram, indicatam solutione laccae musci.

Servetur a luce remotum.

Fructus Anisi stellati.

Illicium verum Hooker, arbor Chinae meridionalis.

Carpidia sena usque octona horizontalia, circa columellam centralem verticillatim contigua, non raro adhuc pedunculo sursum arcuato et incrassato suffulta, plerumque inaequalia, a latere compressa, cymbiformia apice brevi obtuso, recto vel subimpresso, iuxta suturam ventralem bivalvia, siccata pericarpio sublignoso, extus rugoso, griseo-ferrugineo, intus laevigato, semine solitario compresso ovali, testa nitida castanea aut flavo-fusca, fragili vestito. Carpidia sunt odoris et saporis Anisi.

Cave ne sit inquinatus fructibus venenatis forma similibus sed minoribus *Illicii religiosi* Siebold, sub nomine *Anisi stellati Iaponici* notis, praeterea dignoscendis annulo suberoso in ambitu cicatricis pedunculi recti teretis, tenuioris, carpidiis pergamentaceis, magis ventricosis, in apicem acutum, tenuem, saepe subhamatum desinentibus, semine minus compresso, in extremitate hilo opposito saepe tuberculato, odore et sapore omnino differente, haud anisaceo, sed illo peculiari aromatico, hoc primum acri-acido, tum aromatico, denique amaro.

100 partes combustae ne plus quam partes 5 cineris relinquant.

Fructus Anisi vulgaris.

Pimpinella Anisum L., planta annua in regione mediterranea orientali spontanea, in Europa meridionali culta.

Schizocarpia plane matura siccata piriformia a latere subcompressa, 4—5 millimetra longa, setulis adpressis

uni-aut pluricellularibus grosse verrucosis plerumque arcuatis obtusiusculis hirsuta, coloris griseo-viridescentis, mericarpiis cohaerentibus quinquecostatis costis aequalibus subtilibus, pallidioribus, valleculis plurivittatis, odoris peculiaris aromatici, saporis fervidi iuncta dulcedine.

Sit merx quantum fieri potest a stipitibus et glebulis terreis aliisque quisquiliis libera. 100 eius partes minime 12 partes extracti aquosi exhibeant et combustae ne plus quam partes 10 cineris relinquant.

Cave ne merx commixta habeat schizocarpia *Conii maculati* (L), quae facile distinguuntur superficie prorsus glabra, costis valde prominentibus undulato-crenulatis, valleculis evittatis, odore (humectatis kalio hydrooxydato) herbae Conii et sapore minime aromatico.

Fructus Capsici.

Capsicum annuum L. et *Capsicum longum* DC., herbae annuae indigenae in America meridionali, nunc autem in terris calidioribus totius orbis cultae.

Fructus maturi siccati, baccae exsuccae incomplete biloculares polyspermae, plerumque conicae, 6—8 centimetra longae, basi calice planiusculo fultae, pericarpio coriaceo, fragili, subtenace, extus bulloso, laevi, glabro, nitido, plerumque rubro, intus longitudinaliter grosse rugoso et tenuiter striato, seminibus irregulariter disciformibus, circiter 4 millimetra latis luteo-albis.

Pulvis, e fructibus, seminibus et calyce privatis confectus coccineus, saporis fervidi, mordacis, odoris expers, sternutamentum vehementissimum movet, quare sub triturando summa cautione opus est.

Ope microscopii exploratus pulvis sistit imprimis fragmenta epidermidis externae pericarpii e cellulis polygonis pachydermis una cum stratis subepidermalibus e cellulis membrana collenchymatico-suberina praeditis; fragmenta endocarpii partim e cellulis plerumque gregatim congestis undulato-sinuatis membrana sclerosa sat incrassata et grosse porosa; fragmenta parenchymatis mesocarpii e cellulis amplis aut amplissimis leptodermis, hinc inde cum fasciculis vasorum vasis spiralibus angustis. In cellulis praesertim epidermidis et strati subepidermalis observantur guttae substantiae oleosae pigmento aurantiaco vel rubro tinctae, quae adiecto acido sulfurico concentrato colorem pulchre caeruleum trahunt.

100 partes pulveris Capsici combustae ne plus quam partes 6·5 cineris relinquant.

Fructus Cardamomi.

Elettaria Cardamomum White et Maton, planta in silvis montanis Malabariae spontanea.

Capsulae ovales aut oblongae obtuse trigonae, rostello brevi truncato, sursum tubulato coronatae, basi plerumque rotundatae et passim breviter pedicellatae, 1—2 centimetra longae, pericarpio chartaceo, tenaci, extus longitudinaliter striato, coloris straminei vel flavescentis, triloculares, in singulis loculamentis plerumque seminibus 5 irregulariter angulatis, transverse rugosis, hinc sulco exaratis, ex rubro fuscis, arillo tenerrimo membranaceo vestitis, duris, intus albis, amylaceis, odoris pergrati et intense aromatici, saporis fervide condimentarii.

Adhibenda **Semina** reiecto pericarpio odoris et saporis experte.

Microscopio exploratum semen exhibet praesertim in sectione transversali stratum testae maxima ex parte simplex e cellulis maioribus leptodermis, oleo aethereo repletis et stratum internum e cellulis minoribus sclereideis, membrana flavo-fusca, in parte interiore excessive incrassata, singulis granulum materiae silicicae includentibus. Cellulae perispermii polyedricae, membrana subtilissima repletae sunt amylo in granulis perpusillis et singulae instructae cavo exiguo aërifero, crystallulum calcii oxalici solitarium aut aliquot crystallulos continente.

100 partes seminis ne plus quam partes 10 cineris relinquant.

Reiiciatur merx minus aromatica sub nomine *Cardamomum longum* vel *Ceylanicum* nota, sistens capsulas multo validiores, plerumque subarcuatas, longius rostellatas, basi pedicellatas, pericarpio extus e griseo fusco.

Fructus Carvi.

Carum Carvi L., planta biennis indigena, in pratis frequens et culta.

Schizocarpia plane matura siccata ovalia, a latere valde compressa, 4—5 millimetra longa, laevia, glabra, plerumque separatis mericarpiis angustis, utrinque attenuatis arcuatis, costis aequalibus filiformibus albidis et valleculis latis, fuscis, univittatis, odoris peculiaris aromatici, saporis acri-condimentarii.

Sit merx quantum fieri potest a stipitibus aliisque quisquiliis libera.

100 eius partes minime partes 15 extracti aquosi exhibeant. Eadem quantitas combusta ne plus quam partes 7 cineris relinquat.

Fructus Cassiae Fistulae.

Cassia Fistula L., arbor in India orientali indigena, in regionibus calidis plantata.

Legumina cylindrica indehiscentia, 3—6 decimetra longa, 1·5—2·5 centimetra crassa pericarpio lignoso extus fusco-nigricante, nitido, laevi, intus septis transversis orbicularibus lignosis in loculos plurimos monospermos, pulpam atram tenacem, saporis dulcis continentes divisa.

Reiiciantur legumina pulpa mucida, insectis corrosa aut nimis exsiccata.

100 partes pulpae cum septis et seminibus mercis, aqua fervida perfecte exhaustae ne minus quam partes 40 substantiae siccae exhibeant.

Fructus Colocynthidis.

Citrullus Colocynthis Schrader, planta annua in regione mediterranea, Africa tropica et Asia occidentali indigena et passim culta.

Baccae maturae siccatae, ab epicarpio coriaceo luteo liberatae magnitudinis Aurantii, globosae, pulpa levissima, exsucca, spongiosa, subflavido-alba, sistens praesertim parenchyma e cellulis amplis obsolete polyedris, membrana tenui, grosse punctata instructis, sexloculatae, in sectione transversa cavo centrali triradiato hiante, inde facillime secedentes in 3 segmenta verticalia biloculata, plurima semina ovata, compressa, non marginata, nitidula, coloris e subviridi fuscescentis continentia. Saporis sunt amarissimi.

Merx difficillime in pulverem subtilem redigenda est. Ad hoc efficiendum fructus, a seminibus liberati concisi mucilagine gummi Acaciae aut Tragacanthae conterantur, tum siccentur et pulverentur.

100 partes Fructus Colocynthidis ne minus quam partes 30 extracti spirituosi praebeant. Eadem quantitas combusta ne plus quam partes 7 cineris relinquat.

Fructus Coriandri.

Coriandrum sativum L., planta annua Europae australis, apud nos culta.

Schizocarpia plane matura siccata, globosa, calyce quinquedentato coronata, intus cava, 4—5 millimetra in diametro, ochroleuca vel fuscescentia, laevia, glabra, in ambitu 10 costis primariis depressis flexuosis et tantis costis secundariis prominentibus carinatis, vittis inter costas nullis, in commissura geminis, odoris grate aromatici, saporis condimentarii, subdulcis.

100 partes mercis ne minus quam partes 8 extracti aquosi praebeant. Eadem quantitas mercis ne plus quam partes 7 cineris relinquat.

Fructus Cubebae.

Piper Cubeba L. fil., frutex scandens in insulis Iava et Sumatra spontaneus et cultus.

Drupae submaturae siccatae subglobosae subapiculatae, 4—5 millimetra in diametro, basi attenuata stipitiformi, usque ad centimetrum longa, monospermae, pericarpio tenui, fragili, extus grosse reticulato-rugoso, e gri-

seo fusco, cuius endocarpium pallide fuscum solummodo cum basi seminis plerumque corrugati, cavum fructus non explentis, extus nigri cohaeret, odoris peculiaris balsamici, saporis aromatici, subacris et subamari.

Ope microscopii exploratus fructus exhibet in pericarpio stratum subepidermale haud continuum e cellulis parvis sclereideis; parenchyma laxum, abundans utriculis oleiferis, traiectum fasciculis vasorum comitatis cellulis sclerenchymaticis elongatis et stratum internum e cellulis sclereideis maioribus, maxima ex parte radialiter subelongatis instructis membrana aequaliter plus minusve incrassata et canalibus porosis confertis traiecta. Perispermium est parenchyma e cellulis leptodermis polyedris, amylo in granulis perpusillis fetis, interpositis utriculis balsamo aut oleo aethereo repletis.

Fragmentulum seminis gutta acidi sulfurici concentrati humectatum colorem intense rubrum ducit.

100 partes mercis ne minus quam partes 12 extracti aethereo-spirituosi praebeant. Eadem quantitas mercis combusta ne plus quam partes 9 cineris relinquat.

Fructus Foeniculi.

Foeniculum vulgare Gärtner, planta biennis Europae meridionalis, apud nos culta.

Schizocarpia plane matura siccata, oblongo-teretiuscula, 6—8 millimetra longa, laevia, glabra, viridescenti-fusca, mericarpiis facile separabilibus plano-convexis quinquecostatis costis prominentibus obtuse carinatis, stramineis, valleculis univittatis, odoris grate aromatici, saporis condimentarii, subdulcis.

Merci saepe fructus *Foeniculi dulcis* DC. maiores, ad 12 millimetra longi, pallidiores, mericarpiis arcuatis, costis magis prominentibus subalatis intermixti sunt.

100 partes mercis minime partes 12 extracti aquosi praebeant et combustae ne plus quam partes 10 cineris relinquant.

Fructus Iuniperi.

Iuniperus communis L., frutex vel arbusculus indigenus.

Galbuli maturi globosi carnosi, magnitudine pisi, apice 3 suturis et tantidem gibbis, basi 2 verticillis e ternis bracteolis triangularibus fuscis, integumento exteriore in recentibus nigro-violaceo, glauco-pruinoso, in siccatis nigro-fuscescente, glabro, nitido, sarcocarpio pulposo, demum spongioso, e subviridi fusco, 3 nuculis ovali-oblongis, obtuse triquetris, verticalibus, fuscescentibus, osseis, nonnullis utriculis oleïferis in testa superficialibus instructis, odoris balsamici, saporis subdulcis et cum aliqua amaritudine aromatici.

Sint fructus recentes, sat molles, liberi ab insectis et ab aliis quisquiliis.

100 partes mercis ne minus quam partes 20 extracti aquosi exhibeant. Eadem quantitas mercis combusta ne plus quam partes 5 cineris viridescenti-albi relinquat.

Fructus Lauri.

Laurus nobilis L., arbor sempervirens regionis mediterraneae.

Drupae maturae siccatae monospermae, ovales, minoris cerasi magnitudine, pericarpio tenui, fragili, extus rugoso e fusco vel olivaceo nigro, cuius endocarpium fuscum, diaphanum cum integumento subtili seminis exalbuminosi connatum est, semine in cotylas geminas, fere hemisphaericas oleoso-carnosas, coloris cinnamomei facile secedente, odoris peculiaris balsamici, saporis aromatici, amari et subadstringentis.

100 partes mercis ne plus quam partes 4 cineris albi relinquant.

Fructus Myrtilli.

Vaccinium Myrtillus L., fruticulus in silvis umbrosis et ericetis gregatim crescens notissimus.

Baccae maturae globosae magnitudine seminis pisi, superficie nigro-purpureae, pruinosae, 4—5 loculares polyspermae, sarcocarpio succulento-carnoso.

Siccatae, ut adhibeantur, sunt grosse rugosae, passulis minoribus similes, extus e nigro fuscae, multae adhuc pedunculo tenui instructae, saporis aciduli, paululum adstringentis.

In aqua tumescentes eam aeque ac masticatae salivam colore saturate purpureo inficiunt.

In apice exhibent vestigium erectum tenue calycis, discum in centro depressum orbicularem cingens et in sarcocarpio coloris e nigro rubri permulta semina circiter millimetrum longa oblique ovata, compressiuscula aut subreniformia, splendida, rufescentia, minutissime rugosa.

Sint baccae recentes, satis molles, nec ab insectis corrosae, nec mucidae.

100 partes mercis ne minus quam partes 50 extracti aquosi praebeant. Eadem quantitas mercis combusta ne plus quam partes 2 cineris viridescentis in acido hydrochlorico ex toto solubilis relinquat.

Fructus Papaveris.

Papaver somniferum L., planta annua orientalis, apud nos frequentissime culta.

Capsulae virides, glauco-pruinosae, ante plenam maturitatem, quamdiu ex incisione succus lacteus stillat collectae et leni calore siccatae, nucis iuglandis magnitudine, subglobosae vel ovatae, glabrae, stigmate sessili magno, plano plurilobo coronatae, incomplete multiloculares, saporis nauseoso-amaricantis.

Adhibeantur remotis seminibus.

Fructus Piperis nigri.

Piper nigrum L., frutex scandens Asiae tropicae ibi et in aliis regionibus tropicis cultus.

Drupae immaturae siccatae, forma et magnitudine pisi minoris, monospermae, durae, pericarpio tenui, extus grosse reticulato-rugoso e griseo vel e nigro fusco adnato semini subgloboso, paene toto formato e perispermio intus excavato farinoso, albo, extus duro subnitido coloris griseo-viridicantis.

Odor Piperis est debilis, peculiaris aromaticus, sapor peracris, urens.

Ope microscopii observatur praesertim pericarpium strato haud continuo subepidermale e cellulis sclereideis parvis, strato interiore continuo e sclereideis mem-

brana inaequaliter incrassata et mesocarpio e parenchymate laxo utriculis oleo aethereo vel balsamo repletis; perispermium fragile compositum e cellulis polyedris membrana tenerrima instructis, amylo in granulis perpusillis fetis et ex utriculis numerosis, substantia resinoso-balsamica, partim crystallis prismaticis et acicularibus piperini repletis, quae acido sulfurico concentrato humectatae colorem sanguineum induunt.

100 partes mercis ne plus quam partes 5 cineris relinquant.

Fructus Sennae.

Folliculi Sennae.

Generis *Cassiae* specierum imprimis *Cassiae acutifoliae* fructus siccati, exempti varietatibus diversis mercis foliorum Sennae, praesertim sic dictae Sennae Alexandrinae.

Legumina perfecte compressa exsucca folioso-membranacea, rigida, strepentia, ovalia, rhomboideo-ovalia, plerumque oblonga, saepe subfalcata aut subreniformia, usque ad 5 centimetra longa, 2—2·5 centimetra lata, passim residuo pedunculi et stili brevissimi instructa, incomplete plurilocularia, bivalvia valvis membranaceis facile secedentibus tenacibus, extus coloris e flavo viridescentis aut laete olivacei, laevibus, transverse venulosis.

Semina plerumque 6—7 secundum lineam per longitudinem mediam disposita sunt obcordato-spatulata, in rostrum breve obtusum protracta, compressa, 5—6 millimetra longa, extus foveolato-reticulato-rugosa, coloris albido-glauci vel glauco-grisei, durissima, embryone recto, cotylis tenuibus obcordatis foliaceis flavescentibus,

marginem seminis attingentibus, sed in faciebus utrimque albumine mucilaginoso obtectis.

In aqua macerata semina tumescunt et compressa facillime embryonem aeque ac portiones decolores mucilaginis e testa subcoriacea demittunt.

Fructus sunt odoris et saporis foliorum Sennae, sed saporis magis mucilaginosi.

100 partes mercis combustae ne plus quam partes 6 cineris albi paene sine residuo in acido hydrochlorico solubilis relinquant.

Fructus Tamarindi.

Tamarindus Indica L., arbor in India orientali et in aliis regionibus tropicis culta.

Pulpa e leguminibus compressiusculis septatis indehiscentibus depromta sistit massam mollem, tenacem, nigram, odoris vinosi, saporis valde acidi, intermixtam fragmentis pericarpii crustacei fragilis flavo-fusci, fasciculis vasorum restiformibus tenacissimis seminibusque rotundato-angulatis compressis rubro-fuscis, nitentibus, non raro adhuc inclusis loculo sacciformi chartaceo.

Grammata 20 mercis a seminibus liberatae cum grammis 190 aquae perfecte extracta, praebeant e grammis 100 liquoris filtrati minime grammata 5 extracti sicci.

100 partes mercis ne plus quam partes 3 cineris relinquant.

Reiiciatur merx coloris fusci vel fusco-rubri, saporis acerbi aut subdulcis, odoris mucidi, consistentiae pultaceae, aeque ac quae nimia semina fragmentaque pericarpii continet.

Fructus Vanillae.

Vanilla planifolia Andrews, planta scandens in Mexico indigena et ut in aliis regionibus intertropicis, maxime in insula Borboniae culta.

Capsulae uniloculares immaturae siccatae lineares siliquaeformes, compressae, inferiore extremitate attenuatae et leviter curvatae, 2—2·5 decimetra longae, 8—10 millimetra latae pericarpio carnoso, fusco, extus longitudinaliter rugoso et sulcato, unguinose nitente, coloris atro-fusci, saepius crystallis albis splendentibus obtecto, flexiles, tenaces, in cavo repletae massa granuloso-pulposa subpingui, semina innumera exigua subglobosa, nigra, nitentia includente, odoris peculiaris fragrantissimi pergrati.

Ne adhibeantur fructus minus aromatici nimio exsiccati rigidi, fragiles, coloris clarioris, nec fructus maturi dehiscentia aperti, nec fructus multo latiores et plerumque breviores aliarum *Vanillae* specierum, ut sic dicta Vanilla de La Guayra et Vanilla Brasiliana.

100 partes mercis ne minus quam partes 15 extracti spirituosi exhibeant. Eadem quantitas mercis ne plus quam partes 6 cineris relinquat.

Fungus igniarius.

Polyporus fomentarius Fries, fungus per omnem fere Europam mediam in truncis annosis, imprimis fagorum et quercuum nascens.

Frusta mercabilia plana, tactu aequaliter mollia, flexibilia coloris cinnamomei e pileo fungi excissa,

maceratione in aqua et tusione cum malleis ligneis praeparata, in vulgus notissima.

A merce kalio nitrico impraegnata cave.

Pars 1 mercis absorbeat statim partes 2 aquae; aqua inde expressa evaporando ne relinquat residuum nisi minimum.

Fungus Laricis.

Agaricus albus.

Polyporus officinalis Fries, fungus innascens truncis annosis Pini Laricis imprimis in Russia boreali.

Pileus sessilis validus, usque ad magnitudinem capitis infantilis, plerumque subhemisphaericus, subconicus aut pulvinariformis decorticatus et siccatus.

Merx sistit communiter frusta pilei variae magnitudinis alba, levia, tenacia, sed friabilia, subfarinacea, inquinantia, fere inodora, saporis primo dulciusculi, dein amari nauseosi inhaerentis.

Fungus Laricis spiritu vini ebulliente perfecte extractus ex partibus 100 ne minus quam partes 50 resinae praebeat. Eadem quantitas mercis combusta ne plus quam partes 2 cineris albi relinquat.

Merx difficillime in pulverem subtilem redigenda est. Ad hoc efficiendum Fungus Laricis concisus mucilagine gummi Acaciae aut Tragacanthae conteritur, tum siccatur et pulveratur.

Fungus Secalis.

Secale cornutum.

Claviceps purpurea Tulasne, fungus annuus vel biennis.

Stroma sterile fungi in floribus gramineis, praesertim *Secalis cerealis* (L.) nascens.

Merx sistit frusta obtuse trigona recta aut arcuata, utrinque attenuata, 15—25 millimetra longa, 3—5 millimetra crassa, extus e violaceo nigricantia, recenter collecta pruinosa, intus albida aut paullum rubella, fractura solida, fungos redolentia, saporis primo dulciusculi, dein subacris.

Secale cornutum, ope microscopii exploratum ex toto exhibet pseudoparenchyma ex hyphis brevibus irregularibus, in sectione quoad formam et magnitudinem inaequalibus plerumque obsolete angulatis aut rotundatis. Hyphae in stratis extimis stromatis et in membrana et in contento pigmento rubro, acido sulfurico colore sanguineo, solutione kalii hydrooxydati colore violaceo solubili instructae sunt.

Pulvis Fungi Secalis subcarneus, amylo ex toto carens, pinguis, humectatus solutione kalii hydrooxydati odorem nauseosum trimethylamini spargit.

Pulvis ne sit praesto, sed ex tempore paretur. 100 eius partes ne minus quam partes 15 extracti aquoso-spirituosi praebeant. Eadem quantitas combusta ne plus quam partes 5 cineris relinquat.

Fungus Secalis optime siccatus in vitris optime clausis ne ultra annum servetur. Merx corrosa, rancida, odorem ammoniacalem spargens reiiciatur.

Gallae.

Excrescentiae in ramulis *Quercus infectoriae (Olivier)* praeprimis in Syria et Asia minore, ictu *Cynipis Gallae tinctoriae (Olivier)* laesis nascentes glo-

bosae, 1—2·5 centimetra in diametro inferne paulum attenuatae, glabrae, sursum tuberculoso-echinatae, nonnullae foramine laterali 2—3 millimetra amplo instructae, coloris griseo-subviridis modo pallidioris modo obscurioris, ponderosae, durae, substantia interna nunc solida, subcornea, nunc laxiore, granuloso-friabili, interdum radiata, coloris subfusci aut flavido-albidi, cavum centrale solitarium sphaericum continente, saporis admodum adstringentis.

100 partes mercis ne minus quam partes 50 extracti neque plus quam partes 2 cineris albi efficiant.

Gelatina animalis alba.

Gelatina purgata ex ossibus animalium obtenta. Sistit lamellas tenues decolores aut fere decolores, nitentes, pellucidas, odoris saporisque expertes, quae in spiritu vini et in aethere insolubiles, in aqua frigida valde tumescunt, in aqua fervida facile solvuntur.

Liquor obtentus solutione partis 1 Gelatinae in partibus 100 aquae fervidae limpidus aut paulum opalescens, glutinosus, refrigeratus in gelatinam transeat.

Solutio Gelatinae aquosa valde diluta adiecta solutione acidi tannici sedimentum floccosum album deponat.

100 Gelatinae partes ne plus quam partes 2 cineris relinquant. Ne solutiones Gelatinae dispensentur nisi sterilefactae.

Glandulae Lupuli.

Humulus Lupulus L., suffrutex scandens, apud nos spontaneus et cultus, notissimus.

Pulvis grossiusculus, inaequabilis, a strobilis plantae recenter siccatis ope cribri setacei separatus, coloris e viridi flavi, subglutinosus, odoris peculiaris fragrantis, saporis aromatico-amari, compositus e glandulis plerumque turbinatis, cupulaeformibus aut subglobosis, plus minusve vietis magnitudine 0·14—0·23 millimetri, quarum singulae constant e sacculo cuticulari, in parte inferiore hemisphaerico cellulis minutis tabulatis polygonis obducto et oleo aethereo aut balsamo citrino repleto.

100 partes mercis ne plus quam partes 10 cineris relinquant. Ne ultra annum in vase optime clauso a luce remoto servetur.

Merx vetusta, coloris aurantiaci aut rufescentis, odoris ingrati caseo similis reiicienda est.

Globuli martiales.

Rp:			
Rp:	**Ferri pulverati**	*partem*	1
	Kalii hydrotartarici (V)	*partes*	6
	Aquae	*partes*	4.

Misce exactissime et digere, aquam evaporatam subinde restituendo et saepius agitando, donec ferrum fere plane solutum et massa pultiformis aequabilis, tenax, coloris e viridi nigrescentis, in aqua fervida maxima ex parte solubilis enata fuerit, e qua formentur Globuli ponderis grammatum 30 leni calore exsiccandi.

Globuli martiales sint coloris nigri, saporis acerbi et ferruginei; solvantur maxima ex parte in aquae fervidae partibus 20.

Glycerinum.

Liquor syrupi consistentiae limpidus, coloris et odoris expers, saporis dulcis, ponderis specifici 1·25, reactionis neutrius, in aqua et spiritu vini in quavis proportione solubilis, in aethere et chloroformio non solvitur. In lamina platinea calefactum deflagrat residuo non relicto.

Solutio aquosa (1=5) nec aqua hydrosulfurata, nec ammonio sulfurato, nec baryo nitrico, nec ammonio oxalico mutetur, nec solutione argenti nitrici plus quam opalescenter turbetur.

Glycerini centimetrum cubicum mixtum cum centimetris cubicis 3 solutionis stanni chlorati inter horam colorem obscuriorem ne accipiat.

Glycerini centimetrum cubicum cum centimetro cubico natrii hydrooxydati soluti calefactum nec coloretur, nec ammoniam, nec odorem substantiae glutinosae edat; centimetrum cubicum Glycerini cum centimetro cubico acidi sulfurici diluti leniter fervefactum odorem insuavem rancidum ne prodat.

Glycerini et ammoniae $\overline{aa}$ centimetrum cubicum 1 in balneo aquae ad temperaturam 60° fervefactum iniectis guttis 3 solutionis argenti nitrici intra minuta 5 nec coloretur nec nigricanter turbetur.

Solutio Glycerini aquosa (1=5) nec ipsa, nec per dimidium horae cum acido hydrochlorico diluto fervefacta et dein cum natrio hydrooxydato soluto supersaturata in solutione cupri tartarici alcalina ebulliendo reductionem efficiat.

Gossypium depuratum.

Generis *Gossypii* species ut *Gossypium Barbadense* et *Gossypium herbaceum* L., plantae in regionibus tropicis et calidioribus fere ubique cultae.

Pili semina induentes coctione in solutione natrii carbonici et lotione in aqua purificati et siccati.

Massa filamentosa albissima, levissima, aequabiliter mollissima, odoris saporisque expers.

Microscopio explorata sistit cellulas simplices perlongas (c. 3 centimetra), collapsas et compressas taeniaeformes, plerumque contortas, instructas membrana tenui decolore, quae solutione zinci chlorati cum iodo humectata valde tumescens colorem caeruleum aut violaceum accipit, solutione cuprooxydammoniae primum tumescit colore caeruleo, tum autem cito solvitur.

Merx aqua adiecta eam statim imbibat et submergat.

Partes 100 Gossypii depurati combustae ad summum partem dimidiam cineris relinquant.

Pars 1 Gossypii depurati cum partibus 20 aquae cocta liquorem praebeat, qui chartam exploratoriam ne mutet, neque baryo nitrico, nec argento nitrico, nec ammonio oxalico soluto nisi opalescenter turbetur.

Color ruber, qui oritur in centimetris cubicis 20 huius liquoris adiectis guttis nonnullis acidi sulfurici una cum guttis 3 kalii hypermanganici soluti (1=1000) ne evanescat in paucis minutis.

Aethere extractum Gossypium depuratum ne relinquat aethere avolato nisi vestigium residui.

Ne dispensetur Gossypium depuratum nisi sterilefactum in capsis optime obturatis, aëri imperviis.

*Guaiacolum carbonicum.**)

Pulvis crystallinus albus, saporis et odoris fere expers, insolubilis in aqua, parum solubilis in spiritu vini frigido, facile in fervido, in aethere et chloroformio; liquescit versus 78°—84°. Solutio spirituosa reactionis neutrius ferro sesquichlorato soluto non singulariter coloratur.

Guarana.

Paullinia sorbilis Martius, arbor in Brasilia indigena.

Massae solidae durissimae ponderosae cylindricae, botuliformes, 1—2 decimetra longae, 4—5 centimetra crassae, e seminibus leni igne siccatis, pulveratis, cum aqua in pastam redactis formatae et siccatae, superficie obscure e rubro fuscae, subnitidae, in fractura inaequali subgranulata fusco-rubrae, interdum fragmentis albidis seminum inclusis submarmoreae.

Pulvis Guaranae coloris carnei, saporis subadstringentis et amariusculi, microscopio exploratus constat e granulis minutis amyli compositi, partim integris, partim deformibus conglomeratis et e cellulis parenchymaticis rotundatis aut rotundato-polyedris membrana tumescenti albida, amylum in statu supra descripto includentibus. Hinc inde praeterea reperiuntur cellulae sclereïdeae parvae, plerumque isodiametricae, obsolete polyedrae, rarius subelongatae, subpaliformes, membrana plus minusve crassa coloris citrini solitariae aut nonnullae adhuc cohaerentes.

---

*) Occurrit in mercatura sub nomine „Duotal“.

100 partes Guaranae ne plus quam partes 3 cineris albi relinquant.

Quodsi pauxillum pulveris Guaranae in patinula vitrea, obtecta tabula vitrea caute calefeceris, in tabulae latere inferiore sublimando efficiantur copiosae crystalli coffeïni parvae prismaticae aut aciculares, saepe in figuris plumosis confertae.

Partes 100 pulveris Guaranae ne minus quam partes quatuor (4) coffeïni praebeant, quod eadem ratione determines, ut apud folia Theae praescriptum. Pondus residui crystallini sit minime decigrammatum 2 respondens partibus centesimis 4.

Gummi Acaciae.

Acacia Senegal Willdenow et aliae *Acaciae* species, in terris ad Nilum superiorem sitis nascentes.

Occurrit in frustis plus minusve globosis variae magnitudinis, duris, fragilibus friabilibusque, incoloribus, limpidis diaphanis aut albidis, non pellucidis, rimulis innumerabilibus traiectis, quapropter facile dissilientibus in frustula inaequalia acutangula, in fractura conchoidea vitreo nitentia, non raro iridescentia.

Est Gummi inodorum, saporis fatui mucilaginosi. Cum pondere duplice aquae lente, sed ex toto solvitur ad mucilaginem adhaesivam subflavescentem reactionis acidae, quae plumbo acetico, in quavis proportione commixto non turbatur, sed spiritu vini praecipitatur et solutione ferri sesquichlorati ad gelatinam rigidam concrescit. In solutione e parte 1 Gummi cum partibus 5000 aquae plumbum aceticum basicum solutum sedimentum efficiat.

100 partes ne relinquant plus quam partes 3 cineris albissimi.

Gummiresina Ammoniacum.

Ammoniacum.

Dorema Ammoniacum Don, planta perennis, in Persia et in desertis circa lacum Aral crescens.

Succus gummiresinosus, e caule sponte effluens aëre induratus, provenit in granis distinctis aut inter se conglutinatis subglobosis, magnitudine seminis pisi usque ad nucis iuglandis molem, extus coloris albido-flavescentis vel aurantiaco-fuscescentis, opacis, aut paullo pinguiter nitentibus, in fractura conchata lacteis aut subviolaceo-albicantibus, opalini adspectus, in fragmentis tenuibus diaphanis, duriusculis, sed manus calore mollescentibus, saporis amari, acris et nauseosi, odoris peculiaris haud grati.

Cum aqua tritum Ammoniacum emulsionem albam praebet, quae addita solutione natrii hydrooxydati colorem flavum, tum fuscum accipit.

Granum Ammoniaci cum acido hydrochlorico calefactum colorem ne mutet.

Aqua Gummiresinae superfusa addita gutta ammoniae ne fluorescat.

Pars 1 Gummiresinae cum partibus 10 aquae calefacta liquorem turbidum praebet, qui addita solutione ferri sesquichlorati colorem e rubro violaceum exhibeat.

Gummiresina Ammoniacum spiritu vini ebulliente perfecte extracta e 100 partibus ne plus quam partes 40 residui et eadem quantitas Gummiresinae combusta ne plus quam partes 2 cineris relinquat.

Ad usum pharmaceuticum grana Ammoniaci ope calcii oxydati siccanda et sub tempestate gelida pulveranda sunt.

Gummiresina Asa foetida.

Asa foetida.

Ferulae species, imprimis *Ferula Scorodosma* Bentham et Hooker et *Ferula Narthex* Boissier, Persiam et regiones adiacentes Asiae inhabitantes.

Succus gummiresinosus e radice vulnerata resecto caule effluxus et aëre induratus.

Merx sistit grana laevia non raro leviter compressa variae magnitudinis discreta aut inter se conglutinata, extrinsecus coloris flavo-fusci partim violacei, in fractura conchata lactea opalina, cerae instar nitentia, mox purpurascentia, tandem fuscescentia, inter digitos lentescentia, in fragmentis tenuibus subpellucida, odoris penetrantis alliacei, persistentis, saporis acris amaricantis. Merx recens non raro medio tenax, fracida, glutinosa est.

Pars 1 Asae foetidae cum partibus 3 aquae trita emulsionem albidam praebet, quae additis guttis nonnullis ammoniae colorem flavum ducit.

Frustulum Gummiresinae acido sulfurico concentrato superfusum liquorem coloris profunde fusco-rubri exhibet, qui aqua in extremum dilutus colore caeruleo fluorescit.

Asa foetida acido hydrochlorico humectata ne effervescat nisi minime.

100 eius partes spiritu vini ebulliente perfecte extractae ne plus quam 50 partes remanentiae relinquant. Eadem quantitas combusta ne plus quam partes 10 cineris exhibeat.

Pulvis Asae foetidae lutescens eodem modo ut pulvis Ammoniaci paratus et ab immixtis quisquiliis ope cribri setacei ad hoc destinati purgatus servetur in loco sicco et satis frigido.

Gummiresina Euphorbium.

Euphorbium.

Euphorbia resinifera Berg, planta in Africa boreali-occidentali indigena.

Succus lacteus aëre induratus sistit collectionem frustulorum massae aridae, asperae, subdiaphanae, sordide subflavae, friabilis, quae partim exhibent formas singulares: globoso-trigonas, cavas, non raro spinulam bifurcam includentes, aut cylindrato-clavatas, partim laminas tenues crustaceas intermixtis diversis plantae partibus et fragmentis, quae ante adhibitionem quantum fieri potest amovenda sunt.

Euphorbium, in aqua parce, in spiritu vini et in aethere partim solubile, est saporis primum perexigui, deinde acerrimi, caustici; pulveratum sternutamentum vehementissimum excitat, quapropter pulvis caute parandus.

Partes 100 Euphorbii spiritu vini perfecte extractae ne plus quam partes 50 residui efficiant; eadem quantitas combusta ne plus quam partes 10 cineris relinquat.

Gummiresina Galbanum.

Galbanum.

Ferulae species in Persia septemtrionali nascentes ut *Ferula galbaniflua* Boissier et Buhse et *Ferula rubricaulis* Boissier.

Prostat in granis discretis pisi vel nucis iuglandis magnitudine, subglobosis, extus coloris e flavo vel e

subviridi fuscescentis, in fractura conchata coloris subflavi, cerae instar nitentibus, in fragmentis tenuibus diaphanis, calore mollescentibus; aut in granis inter se conglutinatis, aut in massis compactis viridescenti-fuscis. Odor Gummiresinae est peculiaris balsamicus, haud gratus, sapor aromaticus, acris et amarus.

Trita cum aqua emulsionem albidam praebet. Aqua Galbano superfusa, addita gutta ammoniae colore caeruleo fluorescit; acidum hydrochloricum gummiresinae affusum brevi tempore colorem purpureum induit.

100 partes mercis spiritu vini ebulliente perfecte extractae ne plus quam partes 50 residui efficiant et eadem quantitas combusta ne plus quam partes 10 cineris albi relinquat.

Eligatur merx purior e granis constans vel e massis, quibus grana plurima pura insunt.

Pulverandum et depurandum est Galbanum eodem modo ut Ammoniacum.

Gummiresina Gutti.

Gutti.

Garcinia Hanburyi Hooker fil., arbor Indiae orientalis. Succus gummiresinosus in Bambusae internodiis collectus et induratus.

Occurrit in frustis cylindricis solidis aut in centro cavis solitariis rarius conglutinatis, usque ad 2 decimetra longis, 3—5 centimetra crassis, extrinsecus per longitudinem striatis, coloris aurantiaco-fusci.

Eorum massa, ponderis specifici 1·243, est dura, fragilis, fractura late conchata, facile secedens in frustula obscure citrina impellucida, pulverem grate flavum praebens, qui sternutamentum movet.

Odoris est Gutti expers, saporis ingrati peracris; salivam flavo colore imbuit.

Gutti solvitur magna ex parte in spiritu vini, pro parte in aethere, paullo in aqua. Cum aqua tritum praebet emulsionem luteam, quae ope microscopii explorata grana amyli aut alias particulas organisatas ne exhibeat.

Cum kalio hydrooxydato soluto Gummiresina solutionem coloris aurantiaco-rubri praebet, e qua addito acido hydrochlorico resina flava praecipitatur.

Pars 1 mercis cum partibus 10 spiritus vini digesta solutionem subturbidam efficit, quae adiecto ferro sesquichlorato soluto colorem e nigricante olivaceum exhibet.

Merx ne contineat in 100 partibus minus quam partes 65 substantiae in spiritu vini solubilis. Ne relinquat e 100 partibus plus quam partem 1 cineris.

Gummiresina Myrrha.

Myrrha.

Commiphora Abyssinica Engler, arbor in montibus Erythraeae, Abyssiniae et Arabiae australis indigena.

Massae irregulares gibbosae, tuberosae, interdum subracemosae usque ad magnitudinem pugni, in superficie inaequali aspera pulverulentae, coloris griseo- vel ochroleuco-subfusci, purgatae deflando aut abluendo aeque ac in fractura conchata pinguiter nitentes, coloris plerumque aequabilis subrubro-fusci, interdum albido-maculatae aut venis albidis traiectae, in fragmentis tenuibus pellucidae aut subpellucidae, subtenaces, haud facile pulverandae, pulverem laete-aurantiacum praebentes.

Odoris est Myrrha peculiaris suavis, saporis aromatici, amariusculi, subacris. Cum aqua trita emulsionem flavam efficit.

Pars 1 Myrrhae pulveratae cum partibus 2 aut 3 aetheris aut chloroformii conquassata filtrando liquorem flavum praebeat, qui vaporibus bromi colorem rubroviolaceum trahit.

100 partes Myrrhae spiritu vini ebulliente perfecte extractae ne plus quam partes 70 residui et combustae ne plus quam partes 6 cineris praebeant.

Gummiresina Olibanum.

Olibanum.

Boswelliae species imprimis *Boswellia Carterii* et *Bhau-Dajiana* Birdwood, arbores indigenae in Arabia australi nec non in regione Somalensi Africae orientalis.

Succus gummiresinosus e truncis arborum stillans et aëre induratus.

Occurit in granis subglobosis et oblongis, pisi ad summum nucis iuglandis magnitudinis albo-flavescentibus vel flavo-rubellis, extus albido-pulverulentis, duris, fragilibus, in fractura conchata cerae instar nitentibus, in fragmentis tenuibus plerumque limpidis, pellucidis, odoris debilis, super prunis balsamici notissimi, saporis amariusculi.

Masticata gummiresina mollescit et massam albam, subglutinosam, cum aqua trita emulsionem albam praebet.

100 partes mercis spiritu vini ebulliente perfecte extractae ne plus quam partes 35 residui neque combustae nisi vestigia cineris relinquant.

Herba Absinthii.

Artemisia Absinthium L., planta perennis, in campis, ruderatis, ad vias et sepes passim frequens.

Herba florida siccata, sistens folia et summitates. Folia denso tomento e pilis divaricato-bicuspidatis, T-formibus intermixtis glandulis oleïferis subglobosis aut ovalibus pluricellularibus sessilibus sericeo-incana, radicalia longe petiolata triplicato-pinnatifida, caulina sensim brevius petiolata bipinnatifida vel pinnatifida laciniis lanceolatis aut spatulatis, floralia indivisa lanceolata sessilia. Anthodia parva subglobosa pedunculata, nutantia, solummodo floribus tubulosis flavis in thalamo villoso disposita in racemos axillares, paniculam elongatam terminalem formantes.

Est Herba odoris gravis aromatici, saporis aromatico-peramari.

100 eius partes minime partes 20 extracti aquosi exhibeant. Eadem quantitas mercis combusta ne plus quam partes 10 cineris relinquat.

Herba Adonidis.

Adonis vernalis L., planta perennis in collibus et pascuis apricis calcareis, apud nos passim frequens.

Herba florida siccata occurrit plerumque colligata in sarcinis.

Caulis erectus simplex vel ramosus dense foliosus, basi squamis nigris lanceolatis vaginantibus vestitus, teres, subpilosus, usque ad 3 decimetra longus; folia sparsa sessilia, basi amplexicaulia vaginantia, subglabra, inferiora palmatim-multifida, superiora pinnatim-multi-

fida laciniis linearibus acuminatis integerrimis. Flos terminalis plerumque solitarius corolla speciosa 10—12-petala citrina, carpellis rotundatis obsolete reticulatis, undique velutinis, stilo adunco brevissimo coronatis, in fructum subglobosum aut ovatum confertis. Herba est inodora, saporis subamaricantis.

100 eius partes praebeant extracti aquosi minime partes 32.

100 partes mercis ne plus quam partes 10 cineris albi ex toto solubilis in acido hydrochlorico relinquant.

Herba Cannabis Indicae.

Cannabis sativa L., planta annua, in Persia et India orientali indigena, ibidem ac apud nos saepissime culta.

Summitates plantae femineae florentis, partim iam fructiferae, nonnisi ex India orientali depromendae siccatae adpresso-pilosae, scabrae, massa resinosa excreta ad anthuros densos, foliatos, subcompressos conglutinatae, foliis floralibus plerumque simplicibus lanceolato-linearibus, serratis, cymulis axillaribus confertis, bracteis lanceolatis bifloris, bracteolis quemque florem vaginantibus ovato-lanceolatis, deinde fructum notissimum includentibus.

Odor Herbae praesertim tritae aut paulum calefactae est peculiaris narcoticus.

Ope microscopii observantur imprimis numerosae glandulae oleïferae bullosae vesiculosae subglobosae, pili unicellulares maiores et minores basi tumidi cistolithiferi, in superficie verrucosi, in cinere herbae integra forma

reperiendi et crystalli plurimae stellatae, plerumque parvae calcii oxalici.

100 partes mercis ne minus quam partes 8 extracti spirituosi exhibeant. Eadem quantitas mercis combusta ne plus quam partes 15 cineris relinquat.

Herba Centaurii minoris.

Erythraea Centaurium Persoon, planta biennis in silvis montanis vulgaris.

Herba florida siccata ex toto glabra caule subtetragono, inferne simplice, superne dichotomo foliis oppositis sessilibus, ovalibus, ovatis, obovatis aut ovato-lanceolatis, integerrimis, tri- aut quinquenerviis, laete viridibus, radicalibus in orbem dispositis, floribus regularibus pentameris in cymis fasciculatis terminalibus corolla rubella infundibuliformi, antheris defloratis plus minus spiralibus. Saporis est peramari.

Ne sit Herba venalis scissa mixta cum aliis herbis speciatim cum herba Epilobii angustifolii.

100 partes Herbae Centaurii minoris ne minus quam partes 25 extracti aquosi praebeant. Eadem quantitas herbae ne plus quam partes 4 cineris relinquat.

Herba Chenopodii.

Chenopodium ambrosioides L., planta annua, in America tropica indigena, apud nos in hortis culta et passim subspontanea.

Herba florida siccata caule herbaceo ramoso, angulato-sulcato, foliis alternis, subpetiolatis, oblongis, utrinque acuminatis, ad 10 centimetra longis, remote sinuato-

dentatis aut subintegris, summis lineari-lanceolatis integerrimis, tenuibus, puberulis, subtus glandulosis, laete viridibus, floribus parvis virescentibus in glomerulis axillaribus, anthuros foliosos densifloros terminales componentibus. Odoris et saporis est grate aromatici, Menthae similis.

100 partes Herbae ne plus quam partes 20 cineris relinquant.

Herba Conii.

Conium maculatum L., planta biennis, in ruderatis, ad pagos, in hortis et cultis vulgaris.

Herba incipiente florescentia colligenda ubique glabra, foliis pluries pinnatisectis, basi vaginantibus, inferioribus fistuloso-petiolatis, superioribus sessilibus, suboppositis, laciniis ultimis oblongis aut ovato-oblongis inciso-serratis, lacinulis lanceolatis mucronulatis; floribus parvis albis umbellatis, umbellis 12-20-radiatis involucro polyphyllo foliolis lanceolatis inaequalibus reflexis, involucellis tri- vel tetraphyllis dimidiatis foliolis ovatis, acutis, margine membranaceis albidis, basi connatis, umbellula brevioribus.

Folia carent pilis necnon crystallis calcii oxalici; in cellulis mesophylli et speciatim in illis epidermidis reperiuntur massae sphaero-crystallinae.

Herba marcescens est odoris peculiaris nauseosi, siccata vix odora, liquore kalii hydrooxydati humectata illum odorem peculiarem recuperat.

Herba a caule fusco-aut rubro-maculato ramisque validioribus liberata et siccata in vase bene clauso ne ultra annum servanda est.

100 partes Herbae ne plus quam partes 12 cineris relinquant.

Ne confundas cum aliis umbelliferis ut imprimis cum *Chaerophyllo bulboso* (L.) caule inferne hirto, laciniis foliorum superiorum subcapillaceis, involucro nullo aut monophyllo, schizocarpiis acicularibus et cum *Anthrisco silvestri* (Hoffm.) caule inferne hirsuto, foliis subtus ad nervos pilis albidis adspersis, involucro nullo, involucellis polyphyllis haud dimidiatis, schizocarpiis oblongis, acutis dignoscendis.

Herba Convallariae.

Convallaria maialis L., planta perennis notissima in silvis et nemoribus, cuius rhizoma stoloniferum plerumque duo folia radicalia unacum scapo nudo florifero producit.

Herba sub anthesi collecta et siccata sistit folia et scapos floriferos. Folia elliptica, acuta, in petiolum desinentia, integerrima, longitudinaliter plicatula, usque ad 15 centimetra longa, basi scapum vagina membranacea alba aut rubella cingentia, nervo mediano validiore nervisque lateralibus plurimis debilioribus versus folii apicem convergentibus nec non innumeris venulis transverse coniunctis, tenacia, inodora.

Scapi floriferi semiteretes nudi, glabri, laeves, 10—15 centimetra longi simplices, racemo terminali secundo superne nutante e floribus solitariis, singulis ex axilla bracteae parvae membranaceae lineari-lanceolatae ortis, cernuis, suaviter fragrantibus, perigonio globoso-campanulato seminis pisi magnitudine albo sex-fido, laciniis ovatis acutiusculis revolutis.

100 partes mercis ne minus quam partes 18 extracti aquosi exhibeant et combustae ne plus quam partes 10 cineris relinquant.

Herba Equiseti.

Equisetum arvense L., planta perennis, in pratis et agris humidis Europae vulgaris.

Caules steriles usque ad 3 decimetra longi, fistulosi, superficie sulcati, scabriusculi, virides, articulati, iuxta articulos vagina scariosa subherbacea 5—15 dentata, dentibus lanceolato-subulatis ibidemque verticillatim ramosi ramis ascendentibus aut patentibus cauli conformibus. Herba siccata adhibeatur.

In mercatura occurrit communiter in fasciculos colligata aut scissa.

Combusta praebet ex partibus 100 partes 15—17 cineris griseo-albi, qui in partibus 100 non minus quam circiter 80 partes insolubiles in acido hydrochlorico continet.

Herba Galeopsidis.

Galeopsis ochroleuca Lamarck, planta annua indigena, in agris arvisque arenosis Germaniae mediae et occidentalis vulgaris.

Herba florida siccata, concisa sub nomine **Theae Blankenheimensis** vel **Herbae Lieberianae** nota, caule ramoso saepe purpurascente, pilis adpressis albidis pubescente, ad geniculos haud tumido, foliis in petiolum attenuatis ovatis, ovato-oblongis aut lanceolatis, grosse serratis, utrimque molliter pilosis, laete vel flavescenti-

viridibus, venis subtus prominentibus albidis, supra depressis, floribus in verticillastris infra remotis, superne approximatis, calyce quinquedentato dentibus subulatis subspinescentibus, glanduloso-pilosis, corolla calyce quadruplo longiore ochroleuca, labio inferiore albo basi macula sulfurea ornato.

Ne confundas cum herba *Galeopsidis versicoloris* (Curt.), plantae frequentissimae in nostris dumetis, lucis et nemoribus caule ad geniculos tumido setoso, foliis longe petiolatis ovatis, hirsutis, corollis flavido-albidis labio inferiore luteo, macula ampla violacea signato.

Herba Herniariae.

Herniaria glabra et *Herniaria hirsuta* L., plantae perennes aut biennes, in arenosis pascuis arvisve frequentes.

Herba siccata caulibus filiformibus, teretibus ramosis, ramis alternis, breviter ramulosis, foliis parvis subsessilibus oblongis, ovatis aut obovatis, integerrimis, inferioribus oppositis, superioribus alternis, stipulis ovatis, scariosis, albidis, floribus exiguis, flavescenti-viridibus in glomerulis multi- aut paucifloris axillaribus, saepe totum ramulum occupantibus, unde spicas oblongas foliosas referunt. Odor recentis Herbae nullus, siccatae similis herbae Meliloti.

100 partes Herbae ne plus quam partes 10 cineris relinquant.

Herba Lobeliae.

Lobelia inflata L., planta annua in America boreali spontanea et culta.

Herba florida siccata discissa nobis advecta in placentis valde compressis quadrangularibus charta involutis caule sulcato-anguloso, foliis alternis oblongis aut ovatis, sessilibus vel breviter petiolatis, inaequaliter crenato-serratis pubescentibus, floribus parvis in racemum secundum foliosum terminalem dispositis, corolla sublabiata pallide caerulea, limbo quinque-partito vix calyce longiore.

Capsulae inflatae, in merce compressae, ovoideae decemcostatae, circiter 5 millimetra longae, biloculatae polyspermae seminibus fuscis parvis superficie reticulato-foveolatis, pericarpio chartaceo extus flavo-fuscescente facile reperiendae sunt.

Saporis est Herba Lobeliae initio debilis, demum peracris.

Pulvis subtilis Herbae Lobeliae ope microscopii examinatus exhibet imprimis particulas epidermidis testae seminis e cellulis penta- aut hexagonis earumque fragmenta membrana crassa fusco-flava sub forma anguli infracta aut flexuosa; particulas endocarpii e cellulis sclerenchymaticis maioribus sinuatis; sectiones transversales foliorum mesophyllo bifaciali strato e cellulis paliformibus brevibus uniseriali; fragmenta caulis cum epidermide e cellulis magnis polygonis interpositis insulis e cellulis minoribus in ambitu cuiusque stomatis, cum collenchymate, parenchymate et non raro cum endodermide e cellulis membrana tenui suberea; rarius fragmenta endophloei caulis vasis lactiferis reticulatis, quae copiosissimae reperiuntur in parenchymate mesocarpii; vasa ligni reticulata angusta et ampliora instructa perforatione scalaeformi; pilos unicellulares acutos lepto- et pachydermos plerumque in fragmentis.

100 partes mercis ne minus quam partes 18 extracti alcoholici praebeant. Eadem quantitas mercis ne plus quam partes 8 cineris relinquat.

Herba Maioranae.

Maiorana hortensis Moench, planta annua in Europa australi indigena, apud nos frequenter culta.

Caulis herbaceus obsolete tetragonus, inferne ramosus, folia opposita petiolata subrotunda, ovalia, ovata aut obovata, 2—3 centimetra longa, obtusa, integerrima margine obsolete repanda, utrimque canotomentosa griseo-viridia vel e viridi albicantia, floralia sessilia ovalia, concava. Flores in spicas ovato-oblongiusculas obsolete tetragonas villosas terminales ternas congesti, bracteis ovato-subrotundis planis imbricatis suffulti, calyce uni-labiato bracteaeformi subcuculato, corolla bilabiata alba labio superiore emarginato, inferiore aequaliter trifido. Odor peculiariter aromaticus subcamphoraceus, sapor aromaticus subamaricans.

Herba cum summitatibus florentibus occurrit in mercatura integra in sarcinis collecta vel in forma specierum vel pulveris grossiusculi.

Ope microscopii in pulvere observantur praeprimis: pili numerosi 2—5-cellulares, saepe arcuati aut uncinati leptodermi, cuticula striatula obtecti nec non pili capitati parvi pedunculo uni- aut bicellulari cylindrico et capitulo plerumque unicellulari elliptico declinato et glandulae vesiculosae formae communis labiatarum; mesophyllum bifaciale foliorum strato uniseriali e cellulis paliformibus elongatis fere medium mesophylli attingentibus et

cellulae epidermidis in utraque folii pagina sinuato-undulatae.

100 partes mercis ne relinquant plus quam partes 12 cineris.

Herba Meliloti.

Melilotus officinalis Desrousseaux, planta biennis, in pratis et pascuis frequens.

Herba florida siccata foliis ternatis, alternis, longe petiolatis, foliolis 2—4 centimetra longis obovatis, oblongis aut oblongo-lanceolatis, obtusis aut truncatis, mucronatis, argute serratis, stipulis parvis lanceolato-subulatis, floribus parvis flavis in racemos axillares nudos, elongatos, secundos dispositis. Alae corollae longitudine circiter aequantes vexillum, superantes carinam; fructus ovati, mucronati, mono- vel dispermi, transverse rugosi, glabri, coloris straminei vel fuscescentis.

Odor Herbae recentis exiguus, siccatae gravis aromaticus, peculiaris, sapor amariusculus, subsalsus.

100 partes mercis ne plus quam partes 10 cineris relinquant.

Herba Millefolii.

Achillea Millefolium L., planta perennis, in agris arvisque vulgaris.

Herba florida siccata foliis alternis, inferioribus petiolatis, superioribus semiamplexicaulibus oblongis vel lineari-oblongis, bipinnatifidis laciniis brevissimis lanceolatis aut filiformibus, plus minusve pilosis, subtus glandulosis, anthodiis parvis radiatis floribus radii

numero quinque albis vel roseis, floribus disci lutescentibus, in corymbum densum terminalem fastigiatum dispositis, odoris aromatici, saporis amaricantis, subadstringentis, subsalsi.

Herba nonnisi anthodiis bene evolutis in collibus apricis colligenda.

100 partes mercis ne plus quam partes 15 cineris praebeant.

Herba Origani.

Origanum vulgare L., planta perennis, in silvaticis montosis, ad sepes et dumeta vulgaris.

Herba florida siccata foliis oppositis, petiolatis, ovatis, acutis vel obtusiusculis, subintegerrimis, pubescentibus, margine ciliatis. Flores breviter pedicellati, calyce subcampanulato quinque-dentato corollaque bilabiata rosea vel purpurascente congregati sunt in spicas breves, densas, subtetragonas, bracteis magnis, ovatis, glabris, plerumque violaceis instructas et in corymbum terminalem dispositas. Odor suavis, sapor aromaticus, subamarus.

100 partes ne relinquant plus quam partes 6 cineris.

Herba Polygoni.

Polygonum aviculare L., planta annua in viis, plateis, arvis, cultis, inter segetes pinguiores vulgaris.

Caulis erectus, adscendens aut procumbens, ramosus vel ramosissimus teres aut subangulatus, striatus; folia alterna elliptica, elliptico-lanceolata,

sublanceolata aut lineari-lanceolata brevius petiolata, acuta, integerrima glabra, margine tenuiter ciliata glanduloso-subdenticulata scabra. Ochreae inferne subherbaceae, ore membranaceae, bifissae, demum laceratae setosae, nervis paucis remotis, flores axillares subquaterni pedunculati plerumque octandri perigonio trigono, quinquepartito, laciniis obovatis concavis carinatis viridibus, superne albide aut rubro-marginatis erectopatentibus.

Adhibeatur Herba florida siccata odoris expers, saporis subadstringentis.

100 eius partes ne plus quam partes 8 cineris albi relinquant.

Herba Sabinae.

Iuniperus Sabina L., frutex vel arbusculus, in regione abietina et subalpina Europae centralis et australis spontanea, non raro cultus.

Summitates ramorum siccatae ramulis coarctatis, foliis brevissimis, nunc quadrifariam subimbricatis squamaeformibus rhombeis, obtusiusculis, erecto-adpressis, nunc remotiusculis patulis rhombeo-lanceolatis, acuminatis, mucronulatis, subpungentibus, dorso convexo prope medium glandula oblongo-lineari impressa notatis. Odoris est gravis balsamici, saporis resinoso-amari et acribalsamici.

In pulvere coloris viridi-flavidi ope microscopii observantur imprimis: particulae epidermidis foliorum e cellulis polygonis membrana robusta, a latere grosse porosa, stomatibus ellipticis singulis ad extremitates rugis

cuticulae antennaeformibus instructis et hypodermate e fibris valde incrassatis; cellulae plerumque elongatae et aggregatae membrana decolore, e qua processus angusti simplices et ramosi in cavum cellulae prominentes oriuntur.

100 partes Herbae Sabinae destillatione cum aqua ne minus quam partes 4 olei aetherei praebeant. Eadem quantitas mercis combusta ne plus quam partes 10 cineris relinquat.

Servetur Herba Sabinae ne ultra annum.

Odore debiliore, ramulis magis patulis, foliis versus inferiorem dorsi partem glandula ovali vel subrotunda instructis discernuntur summitates *Iuniperi Virginianae* (L.), arboris apud nos non raro cultae, quibuscum hinc inde summitates Sabinae confunduntur.

Herba Serpylli.

Thymus Serpyllum L., suffruticulus indigenus in pascuis, ericetis, campis et nemoribus vulgaris, mirum in modum varians.

Herba florida siccata caule tenui procumbente, foliis oppositis brevissime petiolatis, ovalibus, ovatis, oblongo-ovatis aut anguste lanceolatis, 8—12 millimetra longis, integerrimis, basi ciliatis, utrimque glabris, subglabris aut plus minusve villosis, subtus punctatis, floribus parvis verticillato-capitatis vel verticillato-spicatis, calyce tubuloso decemstriato, bilabiato-quinquedentato, corolla bilabiata purpurea aut rubescente.

Odoris est grate aromatici, saporis aromatici et subamaricantis.

100 partes Herbae ne plus quam partes 10 cineris exhibeant.

Herba Violae tricoloris.

Viola tricolor L., planta annua, in arvis et agris ubique obvia.

Herba florida siccata caule triangulari, foliis petiolatis sparsis, subrotundo-cordatis, ovatis aut ovato-oblongis, crenatis, stipulis magnis lyrato-pinnatifidis petiolo longioribus, floribus axillaribus solitariis longe pedunculatis, corolla parva, impariter quinquefoliata, calcarata, coloris albido-flavescentis aut subviolacei.

100 Herbae partes ne relinquant plus quam 12 partes cineris.

Hydrargyrum.

Metallum liquidum coloris argentei, in acido nitrico sine residuo solubile, ponderis specifici 13·56.

Ne sit tenax nec metallis alienis inquinatum, inde destillatione ex integro evaporet.

Hydrargyrum bichloratum ammoniatum.

Rp: **Hydrargyri bichlorati corrosivi** *partes* 50.

Solve in

Aquae *partibus* 1000.

Solutio filtrata immisceatur sub continua agitatione

Ammoniae *partibus* 75.

Praecipitatum enatum filtro collectum

Aquae frigidae *partibus* 400

quam citius lotum et expressum in loco obscuro temperatura ordinaria siccetur et in vase luci impervio servetur.

Pulvis albissimus in aqua fere insolubilis, acido diluto sive nitrico, sive hydrochlorico facile solvendus; cum natrio hydrooxydato soluto mixtus colorem in flavum mutat et ammoniam exhalat.

In tubo probatorio calefactus, quin liquescat, decomponitur et sine residuo avolet.

Gramma Hydrargyri bichlorati ammoniati cum centimetris cubicis 10 aquae conquassatum liquorem praebeat, qui filtratus aqua hydrosulfurata ne fuscescetur, argento nitrico soluto tantummodo turbetur, quin statim sedimentum flocculosum edat.

Hydrargyrum bichloratum corrosivum.

Massa crystallina alba, ponderosa, diaphana, saporis admodum metallici, in partibus 16 aquae frigidae, 3 aquae bullientis, in partibus 3 spiritus vini, in partibus 12—14 aetheris solubilis. In tubo probatorio calefacta liquescit et ex integro sublimat.

Solutio aquosa est reactionis acidae, adiecta solutione natrii chlorati neutrius. Eadem cum natrio hydrooxydato soluto sedimentum flavum demittit, argento nitrico addito praecipitatum album in acido nitrico insolubile efficit.

Hydrargyrum chloratum mite.

Massa crystallina sublimatione obtenta in pulverem subtilissimum redacta optime aqua fervida eluatur, dein loco obscuro siccetur.

Pulvis subtilissimus flavide albus, in aqua, spiritu vini et aethere penitus insolubilis, ignitus sublimat quin liquescat. Cum solutione natrii hydrooxydati nigrescit, ammoniam vero vel solutione calefacta ne exhalet.

Centimetra cubica 10 spiritus vini diluti cum grammate pulveris quassata nihil eius solvant, hinc liquor filtratus nec aqua hydrosulfurata addita vel post longius temporis intervallum nigro colore inficiatur, nec argento nitrico soluto turbetur et in balneo aquae ad siccum evaporatus residuum vix relinquat.

Servetur in vase luci impervio.

Hydrargyrum iodatum flavum.

Rp: **Hydrargyri**	*partes*	16
Iodi	*partes*	10.

In mortarium vitreum immissas et spiritu vini humectatas tere, donec globuli metallici disparuerint, curans, ut massa inter triturationem maneat humida, demum spiritu vini lava et in loco umbroso sicca.

Sit pulvis e virescenti flavus, in aqua perpaulum solubilis, in spiritu vini et aethere insolubilis, igne prorsus avolat, lucis aditu decomponitur.

Cum natrio hydrooxydato soluto nigrescit, cum acido sulfurico concentrato et mangano hyperoxydato calefactus vapores violaceos emittit.

Gramma Hydrargyri iodati flavi cum centimetris cubicis 10 spiritus vini quassatum liquorem praebeat, qui filtratus aqua hydrosulfurata vix turbetur.

Servetur in vase luci impervio.

Hydrargyrum oxydatum flavum.

Rp: **Hydrargyri bichlorati corrosivi** *partes* 100.
Solve in
Aquae *partibus* 1000.

Liquorem filtratum instilla sub continua agitatione solutioni limpidae paratae e
Natrii hydrooxydati *partibus* 40
Aquae *partibus* 150.

Miscella stet per horam saepius agitando, dein praecipitatum enatum aqua perfecte lotum in filtro collige, exprime et in loco obscuro sicca.

Pulvis amorphus luteus, in aqua vix, in acidis valde dilutis aut hydrochlorico aut nitrico facile solubilis, in tubo probatorio calefactus oxygenium et vapores hydrargyrosos, in guttulas metalli coëuntes, evolvit.

Gramma Hydrargyri oxydati flavi in centimetris cubicis 50 aquae et sufficiente quantitate acidi nitrici solutum liquorem praebeat limpidum, qui addita solutione argenti nitrici ad summum opalescat.

Decigrammata 2 Hydrargyri oxydati flavi in tubo probatorio calefacta vapores nitrosos ne evolvant et residuum fere nullum relinquant.

Servetur in vase luci impervio.

Hydrargyrum tannicum oxydulatum.

Rp: **Hydrargyri nitrici oxydulati** recenter parati *partes* 10.

In mortarium vitreum immissas cum

Aquae	*partibus*	10

redige in pulverem subtilissimum, dein adde

Acidi tannici	*partes*	6.

Miscellam per semihoram trituratam dilue cum

Aquae	*partibus*	500.

Praecipitatum enatum collige in filtro, elue cum aqua perfectissime, exprime et sicca temperatura ordinaria in loco obscuro.

Pulvis subtilis e viridi fuscus, in aqua insolubilis, addita solutione natrii hydrooxydati liquorem fuscum praebet et hydrargyrum demittit.

Gramma Hydrargyri tannici oxydulati cum grammis 10 aquae conquassatum liquorem praebeat, qui filtratus sit coloris fere expers, nec aqua hydrosulfurata mutetur, nec solutione ferri sulfurici admixto acido sulfurico concentrato superfusus colorem fuscum induat.

Contineat in 100 partibus partes 55—57 hydrargyri, inde gramma praeparati cum centimetris cubicis 20 solutionis kalii hydrooxydati spirituosae intime mixtum hydrargyrum deponat, cuius pondus post elutionem cum spiritu vini tum aethere et post desiccationem sit decigrammatum 55—57.

Hydrogenium hyperoxydatum solutum.

Solutio aquosa Hydrogenii hyperoxydati. Liquor limpidus, coloris et odoris expers, reactionis neutrius aut leniter acidae, calefactus decomponitur, aquam et oxygenium exhibens. Cum aqua dilutus, additis nonnullis guttis kalii bichromici soluti et acidi sulfurici diluti colorem caeruleum induit, qui conquassando cum grammis nonnullis aetheris in hunc migrat.

Contineat in 100 partibus partes 3 hydrogenii hyperoxydati, quapropter centimetra cubica 2, addito acido sulfurico diluto solutionis kalii hypermanganici volumetricae centimetra cubica 35 consumant, donec liquor colorem rubrum persistentem recipiat.

Servetur in vase luci impervio.

Hydromel infantum.

Rp:			
Rp:	**Infusi Sennae cum Manna**	*partes*	3
	Syrupi Sennae cum Manna	*partem*	1.

Misce.

Liquor limpidus coloris fusci, saporis dulcis, ponderis specifici 1·10—1·15.

Ichthyocolla.

Accipenser Huso L., *Accipenser stellatus* Pallas, *Accipenser Ruthenus* L., aliaeque species Accipenserum, pisces, qui mare nigrum, Caspicum, fluminaque in ea aquas effundentia inhabitant.

Vesica natatoria, tunica exteriore orbata et siccata in lamellis subdecoloribus, diaphanis, iridescentibus, tenacissimis, flexilibus, fibroso-foliaceis, per longitudinem fissilibus, inodoris, insipidis.

Ichthyocolla in aqua aequaliter tumescit, evadit impellucida et coloris albi; in aqua et in spiritu vini calefacta ex toto fere solvitur in liquorem admodum glutinantem, qui concentratus et refrigeratus gelatinam spissam praebet.

Ichthyocolla combusta ne plus quam partes 8 cineris mere albi e partibus 100 relinquat.

Infusa.

Quodsi in parandis infusis quantitas medicaminis a medico definita non est, in genere pro parte 1 substantiae partes 10 colaturae efficiantur.

Haec norma non valet pro medicaminibus efficacioribus, quorum dosis maxima definita est (Tab. III). Eorum quantitas semper a medico praescribatur.

Ad parandum Infusum substantia adhibenda concisa sive contusa in vase apto s. q. aquae fervidae infundatur, dein interdum agitando vel per 5 minuta vaporibus balnei aquae calefiat, vel per quadrantem horae seponatur vase tecto. Liquorem refrigeratum cola et si opus est filtra.

Ne Infusa parentur nisi ex tempore.

Infusum Sennae cum Manna.

Rp: **Foliorum Sennae** (I)	*partes*	12
Aquae	*partes*	100.

Macera per 12 horas et cola.

Colaturam additis

Mannae	*partibus*	15
Magnesii carbonici	*parte*	1

calefac ad ebullitionem et filtra.

Liquor limpidus coloris fusci, reactionis neutrius ponderis specifici 1·06—1·08, saporis peculiaris subdulcis.

100 eius partes minime relinquant residui sicci partes 15.

Iodoformium.

Pulvis microcrystallinus, tactu pinguis, coloris citrini, odoris crocei, saporis ingrati iodum monentis, temperatura circiter 120° liquescens. In aqua fere insolubilis, solvitur in partibus 50 spiritus vini frigidi, in partibus circiter 10 spiritus vini ebullientis, in partibus 6 aetheris. Cum vaporibus aquae bullientis evaporat. Calefactus liquescit et decomponitur vapores violaceos emittens.

Decigrammata 5 Iodoformii cum grammis 5 aquae per minutum conquassata filtratum limpidum praebeant, quod addita solutione argenti nitrici tantummodo opalescat, solutione baryi nitrici ne mutetur.

Decigramma Iodoformii calefactum residuum ponderabile ne relinquat.

Servetur in vase vitreo optime clauso.

Iodum.

Crystalli rhomboideae plerumque lamellares, metallice splendentes, coloris e nigro grisei, odoris peculiaris, in aqua parum, in partibus 10 spiritus vini, facile in solutione kalii iodati, in aethere, in chloroformio et carboneo sulfurato solubiles. Solutiones iodi in aqua, solutione kalii iodati, spiritu vini et aethere sunt coloris fusci, solutiones in chloroformio et carboneo sulfurato coloris violacei. Crystalli calefactae liquescunt et vapores violaceos efformantes penitus avolant. Solutio Iodi aquosa addita solutione amyli colorem caeruleum trahit.

Decigrammata 2·5 Iodi cum grammis 10 aquae contrita filtratum praebeant, quod, sufficiente quantitate acidi sulfurosi decoloratum, dein solutione natrii

hydrooxydati supersaturatum, admixtis guttis aliquot solutionis ferri sulfurici et ferri sesquichlorati ad ebullitionem calefactum et tum acido hydrochlorico acidulatum colorem caeruleum ne induat. Filtratum idem ammonia supersaturatum addita solutione argenti nitrici excedente filtratione liquorem praebeat, qui, acido nitrico acidulatus ad summum opalescat, ne vero praecipitatum caseosum deponat.

Decigrammata 2 Iodi ope grammatis 1 kalii iodati in grammis 20 aquae soluta, minime centimetra cubica 15·6 solutionis decinormalis natrii thiosulfurici consumant, ut liquor decolor evadat.

Kalium aceticum solutum.

Rp: **Kalii carbonici puri** *partes* 50
sensim ingere in
Acidi acetici diluti *partes* 140.

Liquor calefiat ad acidi carbonici perfectam expulsionem, dein tantum sive kalii carbonici, sive acidi acetici addatur, quantum ad neutralisationem requiritur. Quo facto liquor filtratus in balneo aquae evaporetur ad pondus specificum 1·20.

Liquor limpidus decolor, fere neuter; addito ferro sesquichlorato soluto colorem intense rubrum trahit, ope fili platinei limbo flammae parum lucentis admotus flammam colore violaceo inficit.

Centimetra cubica 10 Kalii acetici soluti aequali volumine aquae diluta nec aqua hydrosulfurata, nec acido nitrico acidulata baryo nitrico soluto mutentur, argento nitrico soluto ad summum opalescant.

Kalium aceticum solutum ne sit odoris empyreumatici.

Kalium bromatum.

Crystalli cubicae albae in aëre persistentes, inodorae, saporis salini pungentis, in partibus 2 aquae, parum in spiritu vini solubiles. Solutio aquosa reactionis neutrius addita aqua chlori colorem induit fusco-flavum, qui conquassando cum chloroformio in hoc migrat, relicta solutione aquosa decolore. Crystalli filo platineo affixae flammam colore violaceo inficiunt, ne vero colore flavo inficiant.

Kalium bromatum contritum in tabula porcellanea alba et tum acidi sulfurici diluti gutta una alterave humectatum colorem flavum ne induat.

Solutio aquosa (1=20) ne sit reactionis alcalinae nec aqua hydrosulfurata, nec ammonio sulfurato, nec acido sulfurico diluto mutetur, eadem, acido nitrico acidulata baryo nitrico vix turbetur. Cum guttis aliquot ferri sesquichlorati soluti et chloroformio quassata hoc colore violaceo ne inficiat.

Decigrammata 2 Kalii bromati exsiccati in aqua soluta addito pauxillo kalii chromici soluti nec infra 16·5 nec ultra 17 centimetra cubica solutionis decinormalis argenti nitrici consumant, donec praecipitatum coloris rubri non amplius evanescit.

Kalium carbonicum crudum.

Pulvis grossus albus, siccus, reactionis alcalinae, in aequali pondere aquae perexiguo nonnisi residuo relicto solubilis.

Solutio aquosa addito acido sulfurico diluto effervescit, filo platineo limbo flammae parum lucentis admota flammam colore violaceo inficit.

Contineat in 100 partibus minimum partes 90 kalii carbonici, hinc gramma salis venalis centimetra cubica 13 solutionis alcalimetricae normalis requirat, ut perfecte saturetur.

Kalium carbonicum purum.

Pulvis grossus albus, reactionis alcalinae, in aëre humido diffluens, in aequali pondere aquae prorsus et quidem limpide solubilis, acidis affusis effervescit, limbo flammae parum lucentis ope fili platinei admotus flammam violaceo colore inficit, ne vero, nisi brevissime, colore flavo inficiat.

Solutio aquosa (1=20) decuplae quantitati solutionis argenti nitrici decinormalis admixta praecipitatum praebeat flavide album, quod calore leniter aucto ne nigrescat et acido nitrico solvatur, ita, ut liquor tantummodo opalescat. Eadem salis solutio nec ammonio hydrosulfurato mutetur, nec, additis guttis aliquot ferri sulfurici et sesquichlorati ad ebullitionem evecta et dein acido hydrochlorico supersaturata colorem caeruleum trahat. Si solutio decigrammatum 2 Kalii carbonici puri in acido sulfurico diluto super miscellam ex uno volumine acidi sulfurici concentrati et aequali quantitate ferri sulfurici soluti paratam affunditur, eo plano, quo liquores se contingunt, zona intermedia fusca ne adpareat. Gramma dimidium salis ope acidi hydrochlorici superabundantis solutum et ad perfectam siccitatem evaporatum residuum praebeat, quod in aqua penitus solvatur. Solutio obtenta nec aqua hydrosulfurata, nec ammonia et ammonio sulfurato, nec baryo nitrico mutetur.

Kalium carbonicum siccum contineat in 100 partibus minimum partes 99·5 kalii carbonici, quapropter decigrammata 5 salis perfecte siccati ad minimum centimetra cubica 7·2 solutionis alcalimetricae normalis consumant, ut perfecte saturentur.

Servetur in vase optime clauso.

Kalium chloricum.

Crystalli lamellares vel tabulaeformes decolores, sive pulvis albus crystallinus, in 16 partibus aquae frigidae, in 2 aquae bullientis, in spiritu vini parum solubilis; cum acido hydrochlorico calefactus chlorum emittit, flammam parum lucentem colore violaceo inficit.

Solutio grammatis dimidii Kalii chlorici in grammis 10 aquae, reactionis neutrius, nec aqua hydrosulfurata, nec ammonio sulfurato, nec ammonio oxalico, nec baryo nitrico, nec argento nitrico mutetur.

Gramma Kalii chlorici cum centimetris cubicis 5 natrii hydrooxydati soluti et ferri pulverati et zinci pulverati ana grammate calefactum ammoniam ne exhalet.

Kalium hydrooxydatum.

Frusta crystallina alba, vel bacilli cylindrici crystallini albi, sicci, duri, valde caustici; in aëre humescunt, in aqua facillime solubiles.

Solutio aquosa, reactionis alcalinae, filo platineo flammae admota hanc colore violaceo inficit.

Kalium hydrooxydatum in decuplo pondere spiritus vini diluti ex integro fere solvatur. Centimetra cubica 10

solutionis aquosae Kalii hydrooxydati (1=10) cum centimetris cubicis 15 aquae calcis ad ebullitionem calefacta filtratum praebeant, quod immiscendo acido nitrico diluto superabundanti ne effervescat.

Solutio e decigrammate Kalii hydrooxydati et centi metris cubicis 2 acidi sulfurici diluti parata acido sulfurico concentrato, cui ferri sulfurici solutio adiecta est superaddito, zonam intermediam coloris fusci ne efficiat.

Solutio aquosa (1=50) acido nitrico supersaturata baryo nitrico soluto ne statim turbetur, addita solutione argenti nitrici tantummodo leviter opalescat.

Centimetra cubica 10 solutionis e grammis 5·6 Kalii hydrooxydati et grammis 100 aquae paratae minime centimetra cubica 9 solutionis alcalimetricae normalis ad neutralisationem consumant.

Servetur in vase optime clauso.

Kalium hydrooxydatum solutum.

Liquor Kalii caustici.

Liquor decolor reactionis fortiter alcalinae, ponderis specifici 1·325—1·332; contineat in partibus 100 circiter partes 33·3 kalii hydrooxydati.

In ansa fili platinei ignitum Kalium hydrooxydatum solutum flammam colore violaceo inficit ne vero colorem flavum nisi evanescentem producat.

Centimetra cubica 2 Kalii hydrooxydati soluti acido sulfurico supersaturata et cum aqua ad quantitatem centimetrorum cubicorum 40 diluta liquorem praebeant, cuius pars una ne mutetur adiecta aqua hydrosulfurata, cuius pars altera, supersaturata ammonia diutius seposita ad summum vestigia sedimenti exhibeat.

Grammata 3 Kalii hydrooxydati soluti aqua diluta additis guttis nonnullis solutionis phenolphtaleini, ut neutra evadant, centimetra cubica 17·5—18 acidi hydrochlorici normalis consumant.

Ceterum Kalium hydrooxydatum solutum erga reagentia se habeat ut kalium hydrooxydatum.

Kalium hydrotartaricum.

Crustae crystallinae albae, sive pulvis crystallinus albus, saporis acidi, in partibus circiter 200 aquae frigidae, in 20 partibus aquae bullientis solubilis; solutioni kalii carbonici immixtus sub effervescentia solvitur. Fervefactus odorem sacchari tosti spargit, carbonescit et massam alcalinam relinquit, quae ope fili platinei flammae admota, hanc colore violaceo inficit.

Grammata 2 pulveris in grammis 20 aquae addita sufficiente ammonia soluta liquorem praebeant, qui nec aqua hydrosulfurata mutetur, nec acido nitrico diluto acidulatus et filtratus baryo nitrico turbetur, argento nitrico tantummodo leniter opalescat.

Kalium hydrotartaricum cum natrio hydrooxydato soluto calefactum ammoniam ne emittat.

Miscella e grammate pulveris Kalii hydrotartarici et centimetris cubicis 5 acidi acetici diluti parata et saepius agitando per semihoram seposita, dein centimetris cubicis 25 aquae diluta, sedimento deposito, per decantationem liquorem limpidum praebeat, qui additis guttis nonnullis (8) solutionis ammonii oxalici inter minutum ne mutetur.

Kalium hypermanganicum.

Crystalli prismaticae coloris intense violacei, metallice splendentes, saporis parum adstringentis, in aquae frigidae partibus 16 circiter solubiles.

Solutio aquosa reactionis neutrius, coloris e caeruleo rubri variis substantiis et mineralibus et organicis oxygenium appetentibus decomponitur, hinc solutione ferri sulfurici vel acido oxalico, adiecto acido sulfurico diluto decoloratur. Kalio hydrooxydato calefacta color solutionis in viridem mutatur.

Gramma dimidium Kalii hypermanganici cum grammis 2 spiritus vini et 25 aquae ad ebullitionem fervefactum filtratum decolor praebeat, quod, acido nitrico acidulatum, baryo nitrico vel argento nitrico tantummodo opalescat.

Solutio e grammate dimidio Kalii hypermanganici et grammis 5 aquae fervidae parata et sensim addito acido oxalico decolorata filtratum praebeat, quod acido sulfurico concentrato et solutione ferri sulfurici additis zonam rubro-fuscam ne exhibeat.

Servetur in vase optime clauso luci impervio.

Kalium iodatum.

Crystalli cubicae decolores, in aëre immutabiles, saporis salini ingrati, in partibus 0·75 aquae, in 10 circiter spiritus vini solubiles. Solutio aquosa reactionis fere neutrius cum parva quantitate aquae chlori mixta flavescit et chloroformium adiectum quassando colore violaceo tingit; eadem filo platineo flammae admota, hanc colore violaceo inficit, ne vero colore flavo inficiat.

Solutio aquosa (1=20) nec aqua hydrosulfurata, nec ammonio sulfurato, nec baryo nitrico mutetur; eadem pauxillo ferri sulfurici et sesquichlorati adiecto et cum kalio hydrooxydato soluto mixta, dein leniter calefacta denique acido hydrochlorico saturata colorem caeruleum ne exhibeat.

Solutio aquosa (1=20) recenter parata addito acido sulfurico diluto ne statim flavescat. Gramma Kalii iodati cum pulveris zinci et pulveris ferri ana grammate dimidio et centimetris cubicis 5 natrii hydrooxydati soluti calefactum ammoniam ne exhalet. Decigrammata 2 Kalii iodati in centimetris cubicis 2 ammoniae soluta additis centimetris cubicis 13 solutionis argenti nitrici decinormalis filtratum praebeant, quod acido nitrico acidulatum inter 10 minuta turbidum nonnisi evadat, ne vero praecipitatum deponat, neque nigrescat.

Kalium Natrio-tartaricum.

Crystalli prismaticae decolores, pellucidae, saporis leniter salini, in partibus 1·4 aquae frigidae solubiles. Calefactae liquescunt, aquam crystallinam emittunt, calore aucto odorem sacchari tosti spargunt et in massam atram convertuntur, quae aqua humectata reactionem alcalinam praebet et flammam flavo colore tingit. Solutio aquosa, reactionis neutrius, addito acido acetico diluto sedimentum demittit album crystallinum, in acido hydrochlorico nec non in natrio hydrooxydato soluto solubile.

Solutio aquosa (1=20) nec aqua hydrosulfurata, nec ammonio sulfurato, nec ammonio oxalico, nec acido hydrochlorico addito baryo nitrico mutetur; ope acidi nitrici acidulata argento nitrico adiecto tantummodo

opalescat. Sal cum natrio hydrooxydato soluto calefactus ammoniam ne emittat.

Kalium nitricum.

Pulvis crystallinus vel crystalli prismaticae decolores, in aëre persistentes, in partibus 4 aquae frigidae, in parte circiter dimidia aquae fervidae solubiles. Solutio aquosa addito ferro sulfurico soluto et acido sulfurico concentrato colorem nigro-fuscum trahit, eadem filo platineo flammae admota hanc colore violaceo inficit, ne vero, nisi brevissime, colore flavo inficiat.

Solutio aquosa (1=20) reactionis neutrius nec aqua hydrosulfurata, nec ammonio sulfurato, nec addita ammonia ammonio oxalico aut natrio phosphorico, nec baryo nitrico mutetur, argento nitrico tantummodo opalescat.

Kalium sulfuratum pro balneo.

Rp:			
Rp:	**Sulfuris sublimati**	*partes*	5
	Kalii carbonici crudi	*partes*	10.

Intime mixtae in crucibulo fictili tecto leni igne liquescant, donec effervescentia peracta massa tranquille fluat et portio exempta in aqua perfecte solvatur. Tum massam effunde et refrigeratam statim in vase bene claudendo serva.

Frusta coloris e fusco citrini, postea e fusco viridis, in partibus 2 aquae, residuo nonnisi exiguo relicto solubilia; solutio aquosa reactionis alcalinae, hydrogenium sulfuratum redolens, coloris e flavo viridis, acido acetico diluto supersaturata hydrogenium sulfuratum

secedente sulfure evolvit; filtratum filo platineo flammae admotum hanc colore violaceo inficit.

Kamala.

Mallotus Philippinensis Müller Arg., arbor in India orientali latissime distributa.

Indumentum glanduloso-pilosum fructuum arboris deterendo separatum.

Pulvis subtilis, levis mollisque, non glutinosus, rubiginosus, odoris et saporis expers, sub digitis aut in charta tritus colore flavo tingens, compositus e glandulis minutis depresso-subglobosis, aliqua ex parte moriformibus, diametro 0·04—0·10 millimetri, quae cellulas clavatas leptodermas, radiatim dispositas continent, massae resinosae rubrae nitenti insertas, et e pilis plerumque fasciculatis pachydermis.

Kamalae 100 partes combustae ne relinquant plus quam partes 6 cineris griseo-albidi.

Cave ne sit merx inquinata partibus aliarum plantarum neve arena, bolo aut pulvere latericio.

Kreosotum.

Liquor limpidus, oleaceus, lucem refringens, decolor sive flavescens, odoris penetrantis fumidi, reactionis neutrius, ponderis specifici minimum 1·08, temperatura 200°—220° maxima parte destillat, ne quidem temperatura —20° in massam solidam rigescit. Cum aethere et spiritu vini limpide miscetur, aquae fervidae circiter partes 120 exposcit, ut limpide solvatur; solutio refrigerata primo turbatur, tum guttis olei secedentibus limpida evadit.

Solutio spirituosa Kreosoti, addita exigua quantitate ferri sesquichlorati soluti colorem caeruleum, quantitate aucta ferri sesquichlorati colorem viridem trahit. Kreosotum ammonia solutum et, addito argento nitrico ad ebullitionem calefactum, liquori colorem laete viridem tribuit, simulac paries tubi probatorii lamella argenti inducitur.

Centimetrum cubicum Kreosoti cum centimetris cubicis 2·5 natrii hydrooxydati soluti mixtum liquorem subflavum limpidum praebeat, qui, centimetris cubicis 50 aquae dilutus limpidus maneat. Centimetrum cubicum Kreosoti cum decuplo volumine kalii hydrooxydati in spiritu vini absoluto soluti (1 = 5) mixtum brevi tempore in massam crystallinam abit.

Kreosotum cum aequali volumine collodii quassatum gelatinam ne efficiat. Si centimetrum cubicum Kreosoti cum aetheris petrolei et aquae barytae $\bar{\bar{a}}\bar{\bar{a}}$ centimetris cubicis 2 quassaveris, stratum aethereum ne caeruleum aut sordidum, stratum aquosum ne rubrum evadat.

Kreosotum carbonicum.*)

Liquor spissus limpidus, subflavus, odoris minime fumidi, saporis amariusculi, reactionis neutrius, in spiritu vini, aethere et oleis pinguibus facillime solubilis, in aqua insolubilis. Frigore crystallis secedentibus turbidus evadit.

Cum parte dimidia kalii hydrooxydati soluti calefactum odorem kreosoti spargit.

Cum solutione spirituosa kalii hydrooxydati recenter parata per aliquot minuta ad ebullitionem calefactum

*) Occurrit in mercatura sub nomine „Keosotal".

secedente praecipitato crystallino saponificatur. Hoc praecipitatum, alcohole absoluto lotum et siccatum, acido hydrochlorico superfusum sub effervescentia kreosotum demittit, quod erga reagentia se habeat, ut praescriptum est.

Ignitum comburat residuo nullo relicto.

Kresolum.

Massa e crystallis acicularibus composita decolor, tempore flavescens vel fuscescens, reactionis neutrius, odoris peculiaris, caustica; humiditate attracta diffluit. Temperatura 28°—30° liquescit, versus 187°—189° ebullit, incensa deflagrat residuo nullo relicto.

Solvitur in 38 partibus aquae frigidae, facile in spiritu vini, aethere et glycerino nec non in kalio hydrooxydato sive natrio hydrooxydato soluto.

Solutio aquosa Kresoli ferro sesquichlorato soluto addito colorem primo caeruleum, post viridem induit. Bromum in aqua solutum in solutione aquosa Kresoli sedimentum album flocculosum efficit.

Kresolum liquefactum.

Rp.: **Kresoli**	*partes*	100
Aquae	*partes*	10.

Calefaciendo misce.

Liquor limpidus oleosus, Kresolum redolens, qui erga reagentia se habeat ut Kresolum.

Lichen Islandicus.

Cetraria Islandica Acharius, in Europa boreali, in montibus celsioribus Europae mediae et australis gregatim ad terram nascens.

Thallus erectus subfoliaceus, irregulariter dichotomo-ramosus, laciniis nunc latioribus, nunc angustioribus, canaliculatis vel subplanis, interdum crispatis, in utroque latere glaber, margine dentato-ciliatus, coloris olivacei, subfusci aut castanei, passim albo-grisei et ad basim canaliculatam ut plurimum coloris albi et sanguinei, in statu sicco cartilagineus, rigidus, strepens, in statu humido coriaceus.

Membranae hypharum, thallum constituentium, addita solutione iodi aquosa colorem caeruleum trahunt.

Cum aqua coctus Lichen Islandicus liquorem mucilaginosum peramarum praebet, qui satis concentratus (1 = 20) post refrigerationem in gelatinam coit.

100 partes combustae ne plus quam partes 2 cineris relinquant.

Sit merx a muscorum fragmentis et aliis quisquiliis admixtis liberata.

Lignum Guaiaci.

Guaiacum officinale L., arbor in America tropica, imprimis in insulis Antillanis crescens.

Lignum compactum valde ponderosum et durum, irregularissime fissile, occurit in magnis segmentis trunci et ramorum cortice destitutis, alburno pallide subflavo, duramine fusco-virescente resinoso, in sectione transversa zonis subconcentricis, per vices coloris saturatioris et dilutioris, punctatis aperturis vasorum massa resinosa impletis solitariis et lineatis radiis medullaribus inter se proximis subtilissimis uniserialibus.

Calefactum Lignum odorem resinae Benzoë spargit.

Maxima pars Ligni ope microscopii explorati est constructa e fibris maxime incrassatis libriformibus; cellulae parenchymaticae, zonas coloris dilutioris in sectione transversali formantes, partim crystallos calcii oxalici simplices continent.

Liquor obtentus conquassando Lignum cum spiritu vini evaporando praebeat residuum, quod addita solutione spirituosa ferri sesquichlorati (1 = 100) colorem caeruleum evanescentem trahat.

Rasura Ligni Guaiaci venalis sit coloris aequaliter fusco-viridescentis duraminis; ne sit mixta cum frustulis albidis ex alburno vel e lignis alienis derivatis.

100 partes rasurae ne plus quam partes 2 cineris e griseo albi relinquant.

Lignum Haematoxyli.

Lignum Campechianum.

Haematoxylon Campechianum L., arbor in America centrali indigena.

Duramen trunci, prostans in codicibus magnis cortice et alburno albido destitutis, extrinsecus e caeruleo atris, intus e fusco rubris, ponderosum, durum, in fissura grosse fibrosum, in sectione transversa zonis subconcentricis undulatis, per vices colore saturatiore et dilutiore et radiis medullaribus inter se proximis subtilissimis ornatum, saporis subdulcis, subadstringentis, masticatum salivam colore violaceo tingens.

In officinis merx prostat scissa in ramenta et scobes, extrinsecus interdum nitore ex aureo viridescente praedita.

100 partes Ligni ne plus quam partes 3 cineris relinquant.

Lignum Iuniperi.

Iuniperus communis, vide: *Fructus Iuniperi.*

Lignum e trunco, ramis et radice desumptum in frustis plerumque longitudinaliter fissis, cortice tenui, extrinsecus griseo, intus ferrugineo fibroso indutum, satis compactum, facile fissile, coloris albidi, ochroleuci vel rubelli, in sectione transversa zonis cuiusque anni concentricis, aperturis vasorum ductibusque balsamiferis carentibus, accensum odorem gratum balsamicum spargens.

Radii Ligni nonnisi e tracheïdeis, magnis poris orbicularibus areolatis plerumque in ordine longitudinali simplice ornatis constructi sunt.

Lignum radicis ligno ramorum et trunci praestantius habetur.

Lignum Quassiae.

Quassia amara L., frutex aut arbuscula Americae tropicae.

Lignum trunci et ramorum in segmentis cylindricis pollicis ad brachii crassitudine, vix crassioribus, plerumque cortice tenui, 1—1·5 millimetrum crasso, facile separabili, extus laevi, griseo aut subfusco, passim nigrescente punctato fibroso obtectis, albidum vel subflavescens, leve, facile fissile, tenuiter fibrosum, tenacissimum, in sectione transversa radiis medullaribus tenerrimis approximatis annulisque subconcentricis angustis, instructis vasorum aperturis plerumque binis aut ternis aggregatis sub forma punctorum albidorum. Saporis est amarissimi, diu faucibus inhaerentis.

Lignum *Picrasmae excelsae* Planch., arboris imprimis insularum Indiae occidentalis, sic dictum Lignum Quassiae Iamaicense, prostans in segmentis validioribus, diametro usque ad 3 decimetra et ultra, cortice ad 1 centimetrum crasso, duro, rigido, lignoso, plerumque arcte adhaerente tectis, caeterum parum differens nec virtute medica ligno Quassiae amarae cedens, etiam adhibere licet, ne vero adhibeatur rasura venalis.

Partes 100 Ligni ne plus quam partes 5 cineris relinquant.

Lignum Santali rubrum.

Pterocarpus santalinus L. fil., arbor Indiae orientalis.

Duramen trunci liberatum a cortice et ab alburno albido, prostans in codicibus et segmentis per longitudinem scissis magnis, extus coloris fusco-rubri, passim atro-subviolacei, ponderosum, durum, compactum, sed facile fissile, in fissura grosse et oblique fibrosum, sericeo-nitens, coloris saturate sanguinei.

Sectio transversa probat zonas subconcentricas latiusculas, coloris saturatioris, orificiis vasorum amplis, parum numerosis, plerumque solitariis, transverse coniunctis lineis brevibus undulatis, una cum radiis medullaribus subtilissimis approximatis coloris dilutioris.

Odor Ligni triti vel fricati est subaromaticus. Aqua frigida fere nihil solvit, spiritus vini autem facile pigmentum rubrum extrahit; solutio spirituosa, addito ferro sesquichlorato colorem violaceum induit.

100 partes Ligni ne plus quam partes 2 cineris subrubentis relinquant.

Linimentum ammoniatum.

Rp: **Ammoniae** *partes* 20
Olei Sesami *partes* 80.

Misce conquassando fortiter in lagena.

Sit massa alba semifluida, ammoniam fortiter redolens; ne secedat per longius tempus seposita in duo strata.

Linimentum saponato-camphoratum.

Rp: **Stearini**
Natrii hydrooxydati soluti *āā partes* 22
Glycerini *partes* 20
Spiritus Vini *partes* 90.

Calefaciendo in cucurbita ope balnei aquae peracta saponificatione admisce solutionem calidam paratam e
Camphorae *partibus* 20
Spiritus Vini *partibus* 790.

Miscellae adde
Ammoniae *partes* 26
Olei Lavandulae
Olei Rosmarini *āā partes* 5.

Filtra statim et serva in lagenulis bene obturatis.

Sit massa aequabilis gelatinaeformis, opalescens, ammoniam et olea aetherea adhibita redolens, temperatura corporis humani facile liquescens.

Liquor acidus Halleri.

Rp: **Acidi sulfurici concentrati** *partem* 1
Spiritus Vini *partes* 3.

Misce caute movendo.

Liquor limpidus, decolor, saporis caustici, reactionis valde acidi, ponderis specifici 0·982—1·00.

Addita solutione baryi nitrici sedimentum album praebeat in acido hydrochlorico haud solubile; calefactus cum acido acetico odorem spargat aetheris acetici.

Cum quadrupla aquae quantitate dilutus liquor ne mutetur addita aqua hydrosulfurata.

Liquor Ammoniae anisatus.

Rp: **Anetholi** *partem* 1.
Solve in
Spiritus Vini *partibus* 24.
Adde
Ammoniae *partes* 5.

Liquor limpidus, coloris flavidi, ammoniam anetholumque redolens, ponderis specifici 0·872—0·876.

Centimetra cubica 2 Liquoris neutra reddantur centimetris cubicis 16·5 solutionis alcalimetricae decinormalis.

Liquor Capsici compositus.

Linimentum Capsici compositum.

Rp: **Fructus Capsici** (IV)
Fructus Piperis nigri (IV) *aa partes* 100
Saponis kalini
Camphorae *aa partes* 25
Spiritus Vini *partes* 800.
Digere per 8 dies; liquori expressione obtento adde
Eugenoli
Olei Rosmarini *aa partes* 5

Cinnamali	*partem*	1
Ammoniae	*partes*	200.

Sit liquor limpidus, coloris rubro-fusci, ammoniam et olea aetherea adhibita fortiter redolens, ponderis specifici 0·88—0·90.

Lithium carbonicum.

Pulvis albus, candefactus liquescens, in partibus circiter 80 aquae frigidae solubilis; solutio est reactionis alcalinae.

Acido hydrochlorico diluto sub effervescentia solvitur; solutio obtenta flammae colorem coccineum impertit.

Solutio aquosa (1 = 50) ope acidi nitrici effecta nec aqua hydrosulfurata, nec baryo nitrico, nec ammonia et ammonio sulfurato, nec ammonia et ammonio oxalico mutetur, argento nitrico tantummodo opalescat.

Decigrammata 2 Lithii carbonici in centimetro cubico acidi hydrochlorici soluta et ad siccum evaporata residuum praebeant in centimetris cubicis 3 spiritus vini solubile.

Decigrammata 5 Lithii carbonici temperatura 100° siccati ne infra centimetra cubica 13·4 solutionis alcalimetricae normalis consumant, ut liquor neuter evadat.

Lycopodium.

Lycopodium clavatum L., fruticulus repens, in silvis montanis crescens.

Sporae e spicis fructiferis maturis excussae et per cribrum traiectae sistunt pulverem subtilissimum, pallide

flavum, maxime mobilem, tactu mollem, digitis adhaerentem, flammae inspersum celerrime strepitu, fulminis instar, sine fumo deflagrantem, odoris saporisque expertem.

Ope microscopii exploratum constat e cellulis minutissimis, magnitudine 29—32 micromillimetrorum tetraëdro-sphaericis, pyramides exhibentibus trigonas, basi valde convexa reticulato-costatas, quarum anguli laterales apice in tres suturas excurrunt.

Cum aqua aut chloroformio conquassatum Lycopodium superficiei innatat, neque quidquam in liquore ipso relinquit; in aqua coctum demergit.

Partes eius 100 combustae minus quam partes 3 cineris relinquant.

Sit a quisquiliis et arena liberum nec inquinatum polline pinorum saturatius flavo, sub digitis trito terebinthinam redolente aut polline Coryli aliarumque plantarum, sub microscopio forma cellularum differente, neque amylo, forma granorum et reactione iodi facile discernendo.

Magnesium carbonicum.

Massa pulverulenta levissima alba sive pulvis albus levissimus, in aqua fere insolubilis, reactionis alcalinae; in acido sulfurico diluto sub effervescentia solvitur; solutio coloris expers addita miscella ex ammonia, ammonio chlorato et natrio phosphorico composita, sedimentum album crystallinum demittit.

Decigrammata 5 Magnesii carbonici, cum grammis 20 aquae ad ebullitionem calefacta filtratum praebeant, quod evaporatum perexiguum nonnisi residuum relinquat ad maximum ponderis milligrammatis.

Solutio aquosa (1 = 20), ope acidi acetici effecta, nec aqua hydrosulfurata, nec ammonio sulfurato additis ammonio chlorato et ammonia mutetur; eadem nec baryo nitrico, nec acido nitrico addito argento nitrico confestim turbetur, sed ad summum lactescat; ammonio oxalico praesente ammonio chlorato perexiguum nonnisi vel nullum praecipitatum efficiatur.

Magnesium citricum effervescens.

Rp: **Acidi citrici** (IV)	*partes*	30
Magnesii carbonici	*partes*	10

commixtas in patina porcellanea calefac sub continua agitatione usque ad perfectum pulveris collapsum.

Post refrigerationem admisce

Natrii hydrocarbonici	*partes*	34
Acidi citrici (IV)	*partes*	16
Sacchari pulverati	*partes*	10.

Instillando

Alcoholis absoluti	*circiter partes*	6

et ope pistilli leniter terendo miscellam redige in massam glebosam, quae traiiciendo per cribrum (II) in pulverem grossum aequabilem transformetur et leni calore siccetur.

Sit pulvis albus grosse granulosus; solvatur in aqua, emittens copiam acidi carbonici, in liquorem reactionis acidulae.

Solutio aquosa (1 = 10) addita aqua hydrosulfurata ne mutetur, nec addito kalio acetico soluto deponat kalium hydrotartaricum.

Servetur in vase optime clauso.

Magnesium oxydatum.

Pulvis levis albus, in aqua fere insolubilis, reactionis alcalinae; aëri expositus aquam et acidum carbonicum adtrahit, cum aqua tepida in pultem tenuem redactus brevi tempore in gelatinam abit. Acido hydrochlorico diluto sine effervescentia solvitur; solutio decolor, addita miscella ex ammonio chlorato et ammonia parata natrio phosphorico sedimentum album crystallinum demittit.

Decigrammata 2 Magnesii oxydati cum centimetris cubicis 20 aquae conquassata filtratum praebeant, quod ammonio oxalico intra 5 minuta ad summum opalescat, ne vero confestim turbetur.

Miscella e decigrammis 2 Magnesii oxydati et grammis 5 aquae bullientis in acidum aceticum dilutum infusum, ne effervescentiam producat.

Caeterum se erga reagentia praebeat, ut magnesium carbonicum.

Magnesium sulfuricum.

Crystalluli prismaticae decolores, in aëre parum fatiscentes, saporis salini et amari, in parte aequali aquae frigidae solubiles.

Solutio aquosa reactionis neutrius addito baryo nitrico sedimentum album, in acidis insolubile demittit nec non natrio phosphorico praesente ammonio chlorato et ammonia praecipitatum album crystallinum praebet.

Solutio aquosa (1 = 20) nec aqua hydrosulfurata, nec, adiectis ammonio chlorato et ammonia ammonio

sulfurato mutetur; eadem acido nitrico acidulata argento nitrico ad summum opalescat.

Miscella e grammate Magnesii sulfurici et centimetris cubicis 3 solutionis stanni chlorati intra horam colorem fuscum ne accipiat. Magnesium sulfuricum filo platineo flammae admotum hanc ne, nisi brevissime colore flavo inficiat.

Magnesium sulfuricum siccum.

Magnesium sulfuricum loco tepido sive balneo aquae interdum agitando expositum, demum ultra 100° calefactum, donec 36 circiter partes centesimas ponderis amiserit, in pulverem album subtilem dilabitur, qui sub nomine supra dicto praesto sit.

Manna.

Fraxinus Ornus L., arbor in Europa australiore indigena, in Sicilia culta.

Succus saccharinus e truncis arboris cultae vulneratis stillans, aëre induratus et siccatus.

Adhibeatur species mercis optima nota sub nomine *Manna cannulata.*

Sistit frusta crystallina planiuscula subcanaliculata vel subprismatica, obsolete trigona, sicca, friabilia, decimetrum et ultra longa, 2—4 centimetra lata, coloris albidi vel subflavescentis, saporis pure dulcis.

Massa eorum fere perfecte solvitur in aequali pondere aquae fervidae, maxima ex parte in partibus 20 spiritus vini coquendo; solutio spirituosa filtrata refrigerando sensim crystallos manniti copiosas deponit.

Grammata 2 Mannae, soluta in grammis 2 aquae, additis grammis 20 alcoholis absoluti fervefacta et ope gossypii filtrata, evaporato alcohole residuum minime decigrammatum 15 praebeant.

Temperatura 100° siccata Manna ne perdat plus quam 10 partes ponderis.

100 partes Mannae combustae ne relinquant plus quam partes 4 cineris.

Mel.

Mel recens purum sistit massam syrupiformem pellucidam, coloris laete aut e fusco flavi, odoris peculiaris suavis, saporis perdulcis.

Ope microscopii in ea observantur solummodo crystalli sacchari et plerumque cellulae pollinis variarum plantarum.

Solutio, parata e parte 1 Mellis et partibus 2 aquae sit reactionis acidulae, ponderis specifici 1·111.

Haec solutio vix mutetur addita solutione baryi aut argenti nitrici, ne mutetur addita ammonia, vix turbetur admixtis partibus 5 spiritus vini.

Huius solutionis centimetra cubica 10, additis guttis nonnullis solutionis acidi tannici statim evidenter turbentur.

Grammata 30 huius solutionis ne plus consumant, ut neutra reddantur, quam centimetra cubica 4 solutionis acidimetricae decinormalis.

100 Mellis partes combustae ne plus cineris relinquant quam partes 0·4.

Mel depuratum.

Rp: **Mellis**	*partes* 1000
Aquae	*partium* 2000.

Calefac ad ebullitionem et adde agitando solutionem aquosam ex

Acidi tannici	*partibus* 0·25.

Sepone per horas 12.

Hoc tempore elapso admisce solutionem ebulliendo paratam e

Gelatinae animalis albae	*partibus* 0·5
Aquae	*partibus* 50.

Sepone per horas 24, tum filtra et liquorem filtratum in balneo aquae evapora ad pondus specificum 1·35—1·36.

Sit liquor limpidus, coloris in strato 20 centimetra crasso ad summum obscure vinosi, saporis perdulcis puri, mel suaviter redolens.

Examinatum, ut apud mel descriptum omnes reactiones mellis puri, exempta illa cum acido tannico praebeat.

Mentholum.

Crystalli prismaticae vel aciculares, decolores, odoris et saporis olei Menthae piperitae; temperatura 42°—43° liquescunt, in aqua parum, in spiritu vini, aethere, chloroformio facile solvuntur.

Decigramma Mentholi calori balnei aquae expositum penitus evanescat, quin coloretur. Mentholum miscellae e centimetro cubico acidi acetici concentrati, guttis 3 acidi sulfurici concentrati et gutta acidi nitrici confectae ingestum, colorem ne induat.

Mixtura gummosa.

Rp:	**Gummi Acaciae** (VI)	*partes*	6
	Sacchari (V)	*partes*	4.

Solve sensim affundendo in

Aquae	*partibus*	90.

Liquor fere limpidus, saporis dulcis, reactionis subacidae, ponderis specifici 1·035.

Paretur ex tempore.

Mixtura oleoso-balsamica.

Rp:	**Cinnamali**	*partem*	1
	Eugenoli		
	Olei Aurantii florum		
	Olei Macidis	*aa partes*	2
	Olei Citri		
	Olei Lavandulae	*aa partes*	4
	Balsami Peruviani	*partes*	5
	Spiritus aromatici	*partes*	980.

Misce et sepone per aliquot dies, tum filtra.

Liquor limpidus, coloris subflavi, odoris peculiaris grati et valde aromatici, ponderis specifici 0·875—0·880.

*Morphinum diacetylicum.**)

Pulvis crystallinus albus, odoris expers, saporis amari, in spiritu vini frigido parum, in fervido abundanter, in acidis facile, in aqua non solubilis. Liquescit ad 171°—173°. Solutio spirituosa est reactionis alcalinae;

---

*) In mercatura occurrit sub nomine „Heroin".

adiecto acido sulfurico concentrato odorem aetheris acetici edit.

Acidum sulfuricum, aliquid acidi nitrici continens Morphino diacetylico temperatura ordinaria colorem e flavo rubrum, fervefaciendo sanguineum tribuit.

Morphinum diacetylicum e solutionibus acidis, additis alcali causticis, ammonia et ammonio carbonico praecipitatur. Praecipitatum superadditis alcali causticis iterum solvitur.

Solutio ferri sesquichlorati, vestigium kalii ferricyanati continens vel solutio acidi iodici adiecto Morphino diacetylico ne statim caerulescat.

Morphinum diacetylicum in acido sulfurico concentrato solvatur quin coloretur; in lamina platinea comburat residuo nullo relicto.

Morphinum hydrochloricum.

Crystalli aciculares tenues, sericeo nitentes, saepius in frusta cubica alba compressae, saporis peramari, in partibus circiter 25 aquae frigidae, in pari fere pondere bullientis, in 50 partibus spiritus vini solubiles. Ferro sesquichlorato soluto humectatae colorem caeruleum induunt; in acido sulfurico concentrato solutae et per quadrantem horae calori balnei aquae expositae, liquorem praebent, qui refrigeratus, adiecta guttula acidi nitrici colorem sanguineum induit.

Solutio aquosa decolor reactionis neutrius, argento nitrico soluto addito sedimentum album caseosum in acido nitrico diluto insolubile deponit, eadem, ammonia vel natrio hydrooxydato soluto adiecto praeci-

pitatum album demittit, quod excedente ammonia non conspicue, facile et penitus natrio hydrooxydato soluto solvitur, in aethere vix solubile est.

Centimetra cubica 5 solutionis aquosae (1 = 30) addita gutta solutionis kalii carbonici sedimentum crystallinum album, in aëre persistens praebeant et cum chloroformio quassata hoc colore roseo ne inficiant.

Centimetra cubica 5 solutionis aquosae (1 = 30) adiecta gutta ammoniae sedimentum album crystallinum demittant, quod facile in natrio hydrooxydato soluto, difficilius in ammonia sive in aqua calcis solvitur; solutio ope natrii hydrooxydati soluti effecta, cum aequali volumine aetheris quassata, post evaporationem strati aetherei separati residuum nisi perexiguum ne relinquat.

Morphinum hydrochloricum acido sulfurico concentrato solutum liquorem coloris expertem aut minime roseum praebeat; calore 100° siccatum ad maximum 14·4 partes centesimas ponderis perdat; residuum siccatum sit album aut subflavescens. Decigramma Morphini hydrochlorici in lamina platinea sine residuo comburat.

Mucilago Gummi Acaciae.

Rp: **Gummi Acaciae** aqua celeriter lavati
Aquae
Aquae Calcis *āā partes aequales*
Solve et cola.

Liquor mucilaginosus, valde glutinosus, saporis fatui, reactionis subacidulae, coloris subflavidi nec fusci, ponderis specifici 1·115—1·118.

Naphtalinum.

Crystalli lamellares decolores, nitidae, odoris penetrantis, temperatura 80° liquescentes, cum vaporibus aquae prompte aufugientes. Solvuntur in partibus circiter 20 spiritus vini frigidi, in omni fere quantitate fervidi nec non in aethere, benzolo, chloroformio, paraffino liquido, oleis pinguibus et aethereis; in aqua insolubiles.

Napthalinum cum acido sulfurico concentrato in tubo probatorio in balneo aquae calefactum colorem nullum aut minime subrubrum trahat. Decigrammata 2 Naphtalini calefacta residuum, nisi perexiguum, ne relinquant.

β Naphtolum.

Lamellae crystallinae decolores, nitentes vel pulvis crystallinus albus, odoris fere expers, saporis urentis, temperatura 122° liquescens, in aqua frigida parum, in circiter 75 partibus aquae fervidae solubilis, in spiritu vini, aethere, chloroformio, benzolo, oleis pinguibus leniter calefactis et in solutionibus alcalinis facile solubilis.

Solutio aquosa reactionis neutrius addito ferro sesquichlorato soluto primum colorem viridescentem induit, tum floccos albos demittit; eadem ammonia colore subcaeruleo-violaceo fluorescit, aqua chlori albide turbatur, ammonia addita liquor turbidus evadit limpidus et primum colorem viridem, postea fuscum trahit. Solutio aquosa ope natrii hydrooxydati soluti effecta chloroformio addito colorem caeruleum trahit.

β Naphtolum in partibus 50 ammoniae perfecte solvatur; solutio sit decolor aut ad maximum subflava.

Solutio aquosa fervide saturata ferro sesquichlorato soluto colore violaceo ne tingatur.

Decigrammata 2 β Naphtoli ignita residuum ponderabile ne relinquant.

Servetur in vase luci impervio.

Natrium benzoïcum.

Pulvis granulosus amorphus albus, siccus, odoris expers, saporis subsalsi dulcis; calefactus liquescens carbonescit et assidue fortiterque ignitus residuum album relinquit, quod adiectis acidis effervescit et flammam colore flavo inficit.

Natrium benzoïcum facile solvitur in aqua, difficilius in spiritu vini; solutio aquosa reactionis neutrius est.

In solutione Natrii benzoïci aquosa (1 = 10) acidum hydrochloricum sedimentum copiosum album crystallinum, in aethere facile solubile efficit; in eadem ferrum sesquichloratum solutum sedimentum coloris subrubroflavi deponit.

Solutio Natrii benzoïci aquosa (1 = 20) solutione baryi nitrici ne turbetur; eadem additis acidi nitrici concentrati guttis nonnullis praecipitata, filtratum exhibeat, quod adiecta solutione argenti nitrici ne nisi opalescat.

Natrium benzoïcum ignitum residuum relinquat album in aqua plane solubile. Huius residui solutio, superabundante acido hydrochlorico parata, neve aqua hydrosulfurata neve adiecta ammonia ammonio sulfurato mutetur.

Natrium boracicum.

Crystalli prismaticae decolores, in aëre fatiscentes; calore liquescunt et fortius calefactae in massam albam

spongiosam — boracem ustum — mutantur. Solvuntur in partibus 17 aquae frigidae, in dimidia parte bullientis, facile in glycerino; ope ansae fili platinei flammae admotae hanc colore flavo, acido sulfurico concentrato addito, colore viridi inficiunt.

Solutio aquosa (1=50) reactionis alcalinae nec aqua hydrosulfurata, nec ammonio sulfurato, nec ammonio oxalico mutetur, addito acido nitrico ne effervescat et baryo nitrico aut argento nitrico ad summum opalescat.

Natrium bromatum.

Pulvis crystallinus albus, in aëre sicco persistens, in partibus 1·2 aquae, difficilius in spiritu vini solubilis; flammam colore flavo inficit. Solutio aquosa reactionis neutrius addita aqua chlori colorem induit rubro-flavum, qui conquassando cum chloroformio in hoc migrat, relicta solutione aquosa decolore.

Pulvis in tabula porcellanea alba dispersus et acido sulfurico diluto humectatus ne statim colorem flavum trahat.

Solutio aquosa (1=20) cum aliquot guttis ferri sesquichlorati soluti mixta et cum chloroformio conquassata huic colorem violaceum ne tribuat. Eadem nec aqua hydrosulfurata, nec ammonio sulfurato, nec baryo nitrico, nec acido sulfurico diluto mutetur.

Si flammam natrio bromato colore flavo tinctam per tabulam vitream caeruleam interpositam aspexeris color ruber flammae, nisi brevissime, ne adpareat.

Natrii bromati exsiccati decigrammata 2 in centimetris cubicis 10 aquae soluta additis guttis nonnullis

solutionis kalii chromici, nec infra 19 nec ultra 19·7 centimetra cubica solutionis argenti nitrici decinormalis consumant, donec praecipitatum rubrum, permiscendo non amplius evanescens adpareat.

Natrium carbonicum.

Crystalli rhomboidales decolores, in aëre cito fatiscentes, in aqua facillime solubiles, reactionis alcalinae. Acido sulfurico diluto effervescunt, flammae advectae eam colore flavo inficiunt.

Solutio aquosa (1=20) acido hydrochlorico supersaturata nec odorem gasis hydrosulfurati aut sulfurosi spargat, nec sulfure demisso opalescat, nec aqua hydrosulfurata, nec ammonia et ammonio sulfurato colorem mutet. Eadem, acido nitrico acidulata, baryo nitrico vel argento nitrico ad summum opalescat; natrio hydrooxydato soluto calefacta ammoniam ne exhalet.

Contineat in 100 partibus minimum partes 36·7 natrii carbonici sicci; quapropter gramma natrii carbonici crystallisati minimum centimetra cubica 6·9 solutionis alcalimetricae normalis consumat, ut liquor neuter evadat.

Natrium carbonicum siccum.

Crystalli natrii carbonici ruditer tusae loco tepido temperatura 40°—50° aëri expositae in pulverem dilabuntur et dimidiam partem ponderis perdunt.

Pulvis inde enatus, per cribrum transiectus praesto sit et erga reagentia se praebeat ut natrium carbonicum.

Natrium chloratum.

Crystalli cubicae decolores pellucidae, saporis mere salini, solubiles in partibus 2·7 aquae.

Sal ansae fili platinei affixus et candefactus colore flavo inficit flammam, quae per vitrum caeruleum adspecta ne nisi per temporis momentum colorem rubro-violaceum praebeat.

Solutio Natrii chlorati aquosa reactionis neutrius est. Addita solutione argenti nitrici praecipitatum caseosum album, in ammonia facile solubile demittit.

Solutio Natrii chlorati aquosa (1=20) neve aqua hydrosulfurata, neve ammonio sulfurato, neve solutione baryi nitrici neve, addita ammonia ammonio oxalico aut natrio phosphorico turbetur.

Centimetra cubica 20 solutionis Natrii chlorati aquosae (1=20), addita gutta ferri sesquichlorati soluti mucilaginem amyli ne colore caeruleo inficiant.

Centimetra cubica 20 solutionis Natrii chlorati aquosae (1=20) addito granulo kalii ferricyanati ne mutentur.

Natrium hydrocarbonicum.

Crustae crystallinae albae, in aëre persistentes aut pulvis crystallinus albus, saporis subalcalini, in aquae frigidae partibus circiter 12 solubilis; calefactus acidum carbonicum et aquam emittit; residuum est reactionis fortiter alcalinae et flammae admotum eam colore flavo inficit. Flamma eo modo flava effecta per tabulam vitream caeruleam aspecta, ne, nisi brevissime, rubra adpareat.

Solutio e grammate Natrii hydrocarbonici in grammis 20 aquae temperatura ordinaria parata additis guttis 3

solutionis phenolphtaleïni ne statim rubescat et si lente rubescit, gutta acidi hydrochlorici diluti decoloretur.

Gramma Natrii hydrocarbonici in tubo probatorio calefactum, ammoniam ne exhalet.

Solutio aquosa (1 = 50) acido hydrochlorico supersaturata, nec aqua hydrosulfurata, nec ammonia et ammonio sulfurato mutetur, baryo nitrico ne statim turbetur, minutis 2 elapsis ad summum opalescat. Eadem, acido nitrico acidulata, addito argento nitrico ne nisi parum opalescat, addito ferro sesquichlorato soluto ne rubescat.

Grammata 4 Natrii hydrocarbonici, ope acidi sulfurici concentrati siccati, ignitione ne ultra grammata 2·55 residui relinquant; decigrammata 5 huius residui ne minus quam centimetra cubica 9·4 solutionis alcalimetricae normalis ad perfectam neutralisationem consumant.

Natrium hydrooxydatum.

Bacilli teretes massae crystallinae albae durae, valde causticae, quae in aëre humescit, in aqua facillime solvitur, solutionem limpidam decolorem praebens; flammam colore flavo inficit.

Natrium hydrooxydatum in spiritu vini diluto ex integro solvatur; in acido sulfurico diluto solutum et superfusum acido sulfurico concentrato, cui ferri sulfurici solutio adiecta est, zonam intermediam coloris fusci ne efficiat. Solutio aquosa, in acidum nitricum dilutum infusa, ne effervescat et addita solutione sive baryi nitrici sive argenti nitrici vix turbetur.

Natrium hydrooxydatum, ope acidi hydrochlorici superabundantis solutum et ad perfectam siccitatem eva-

poratum residuum relinquat in aqua penitus solubile. Solutio obtenta nec aqua hydrosulfurata, nec ammonia et ammonio sulfurato mutetur.

Servetur in vase optime clauso.

Natrium hydrooxydatum solutum.

Liquor Natrii caustici.

Liquor decolor limpidus, reactionis fortiter alcalinae, ponderis specifici 1·169—1·172. Filum platineum eodem humectatum flammam colore intense flavo inficit.

In 100 partibus continet circiter partes 15 natrii hydrooxydati.

Natrium hydrooxydatum solutum, partibus 5 aquae dilutum et acido nitrico supersaturatum ne effervescat nisi minime, neque turbetur nisi opalescenter addita solutione baryi nitrici vel argenti nitrici.

Centimetra cubica 2 Natrii hydrooxydati soluti, supersaturata acido sulfurico diluto et cum aequali volumine acidi sulfurici concentrati mixta, ne efficiant, superfusa solutione ferri sulfurici zonam intermediam fuscam.

Quodsi centimetra cubica 2 Natrii hydrooxydati soluti, supersaturata acido sulfurico, addita aqua ad centimetra cubica 20 diluuntur, pars dimidia huius liquoris ne mutetur adiecta aqua hydrosulfurata, neque pars altera, supersaturata ammonia et diutius seposita exhibeat nisi vestigium sedimenti.

Grammata 5 Natrii hydrooxydati soluti aqua diluta additis guttis nonnullis solutionis phenolphtaleini consumant, ut neutra evadant, centimetra cubica 18·5—19 acidi hydrochlorici normalis.

Natrium iodatum.

Pulvis crystallinus albus, aëre humescens, facillime in aqua nec non in spiritu vini solubilis; flammae admotus eam colore flavo tingit. Solutio aquosa, aqua chlori addita et cum chloroformio conquassata, huic colorem violaceum tribuit.

Solutio aquosa recenter parata $(1 = 20)$ sit reactionis neutrius; addito acido sulfurico diluto ne effervescat, nec statim flavescat, nec aqua hydrosulfurata vel ammonio sulfurato, neque baryo nitrico mutetur. Eadem guttis aliquot ferri sulfurici et ferri sesquichlorati soluti additis et natrio hydrooxydato soluto supersaturata, demum brevi calefacta et acido hydrochlorico abunde saturata, colorem caeruleum ne ducat.

Decigrammata 2 Natrii iodati, in centimetris cubicis 2 ammoniae soluta, additis centimetris cubicis 14 solutionis argenti nitrici decinormalis filtratum praebeant, quod, acido nitrico acidulatum inter 10 minuta turbidum nonnisi evadat, ne vero sedimentum deponat, neque nigrescat.

Gramma Natrii iodati, cum centimetris cubicis 5 natrii hydrooxydati soluti et pulveris zinci et ferri pulverati $\overline{aa}$ grammate dimidio calefactum, ammoniam ne exhalet.

Flamma Natrio iodato colore flavo infecta per tabulam vitream caeruleam adspecta ne, nisi brevissime rubra adpareat.

Natrium phosphoricum.

Crystalli decolores pellucidae, aëre cito fatiscentes, reactionis alcalinae, facile in aqua frigida, facilius in

aqua fervida solubiles; flammam colore flavo tingunt. Solutio aquosa, argento nitrico soluto adiecto praecipitatum flavum edit, quod calefactum non fuscescit et acido nitrico adiecto absque effervescentia solvitur.

Solutio aquosa (1 = 20) acido nitrico acidulata aqua hydrosulfurata ne mutetur, baryo nitrico aut argento nitrico ad summum opalescat, ammonia supersaturata nec ammonio sulfurato, nec ammonio oxalico plus quam vestigia minima praecipitati edat.

Miscella e grammate Natrii phosphorici siccati et pulverati et centimetris cubicis 5 solutionis stanni chlorati intra horam colorem fuscum ne accipiat.

Natrium salicylicum.

Pulvis crystallinus albus inodorus, saporis e dulci salsi, facillime in aqua, facile in spiritu vini solubilis.

In catino porcellaneo fervefactus vapores phenolum redolentes emittit; carbo residuus acidis effervescit et flammam flavo colore tingit. Solutio aquosa (1 = 10) addito acido hydrochlorico sedimentum album crystallinum in aethere facile solubile demittit, eadem ferro sesquichlorato soluto colorem e rubro fuscum, si est valde diluta (1 = 1000) violaceum induit.

Solutio aquosa (1 = 5) reactionis subacidae sit decolor, tractu temporis dumtaxat rubescit. Solutio aquosa (1 = 20) nec aqua hydrosulfurata, nec baryo nitrico mutetur, nec, addito acido nitrico diluto, crystallis acidi salicylici per filtrationem separatis, argento nitrico turbetur.

Natrium salicylicum, cum acido sulfurico concentrato mixtum ne effervescat, neque coloretur.

Natrium silicicum solutum.

Liquor limpidus decolor vel subflavescens, reactionis alcalinae, ponderis specifici 1·40; additis acidis gelatinam efformat et flammam colore flavo inficit.

Cum quarta parte ponderis sui spiritus vini mixtus praecipitatum deponat. Huius defectus praesentiam natrii hydrooxydati liberi indicat. Corrigitur tale praeparatum coquendo liquorem cum acido hydrosilicico recenter parato.

Natrium sulfuricum.

Crystalli decolores fatiscentes, temperatura 33° in tertia ponderis parte aquae solubiles, in spiritu vini insolubiles. Solutio aquosa, reactionis neutrius, baryo nitrico praecipitatum album, in acidis insolubile praebet, flammam colore flavo inficit.

Solutio aquosa (1 = 20) nec aqua hydrosulfurata, nec ammonio sulfurato, nec ammonio oxalico, nec ammonia et natrio phosphorico mutetur, argento nitrico tantummodo opalescat.

Miscella e grammate natrii sulfurici exsiccati et pulverati cum centimetris cubicis 3 solutionis stanni chlorati intra horam colorem fuscum ne induat.

Natrium sulfuricum siccum.

Natrium sulfuricum crystallisatum grosse pulveratum aëri sicco in loco tepido expositum ultra dimidium ponderis perdit et in pulverem album convertitur, qui per cribrum traiectus sub nomine supra notato praesto sit.

Solutio aquosa (1 = 40) erga reagentia se habeat, ut solutio natrii sulfurici.

Olea.

a) Olea aetherea.

Liquores, e partibus variis plantarum destillatione, rarius expressione obtenti sint limpidi, in spiritu vini solubiles.

Gutta olei aetherei cuiuslibet in chartam bibulam delapsa maculam pinguem, in spiritu vini insolubilem ne derelinquat; calore sensim aucto avolet, residuo vel nullo, vel nonnisi perexiguo relicto.

Frustulum calcii chlorati fusi magnitudinis pisi, cum centimetris cubicis 2 olei aetherei quassatum nec diffluat nec emollescat.

Pondus specificum olei aetherei, exceptis oleo Rosae et Anetholo temperatura 15° determinetur.

Gutta olei aetherei, cum grammis 2 sacchari exactissime contrita miscellam praebeat, quae odorem peculiarem huius olei, nequaquam vero odorem alienum spargat.

Anetholum, Carvonum, Cinnamalum et Eugenolum se praebeant, ut Olea aetherea.

Olea aetherea serventur in vasis optime clausis a luce remotis.

b) Olea pinguia.

in genere expressione frigida seminum, rarius fructuum parata sint plane limpida absque ulla secretione mucilaginosa, odoris et saporis haud rancidi; solvantur clare in aethere, chloroformio et aethere petrolei.

Versus reagentia se habeant, ut de singulis in textu pharmacopoeae notatum est ac respondeant numero praescripto saponificationis et iodi.

Gutta olei pinguis in chartam bibulam delapsa maculam pinguem relinquit.

Ad statuendum numerum saponificationis ingere in cucurbitam vitream voluminis centimetrorum cubicorum 100 grammata 2 pinguedinis examinandae, adde centimetra cubica 20 solutionis kalii hydrooxydati spirituosae seminormalis et calefac per semihoram in balneo aquae, adhibens apparatum refrigeratorium. Post refrigerationem titra, adiectis guttis nonnullis solutionis phenolphtaleini cum acido hydrochlorico seminormali usque ad decolorationem miscellae.

Rationem numeri saponificationis ineas, centimetra cubica solutionis kalii hydrooxydati seminormalis ad saponificationem consumpta multiplicando cum 28 et summam hinc enatam dividendo pondere pinguedinis adhibitae. Numerus hoc modo repertus — numerus saponificationis — indicat quantitatem milligrammatum kalii hydrooxydati ad perfectam saponificationem grammatis pinguedinis adhibitam.

Ad statuendum numerum iodi solve decigrammata 3—5 pinguedinis — sed quod attinet ad olea exsiccantia decigrammata 2 — trutina exacte constituta in lagena epistomio vitreo munita voluminis centimetrorum cubicorum 300 in centimetris cubicis 15 chloroformii, adde centimetra cubica 25 solutionis iodi cum hydrargyro bichlorato corrosivo exactissime dimessa, conquassa et sepone temperatura consueta luce dispersa per horas 6, quod attinet ad olea exsiccantia per horas 24. Tum admisce centimetra cubica 20 solutionis kalii

iodati (1=10) cum circiter centimetris cubicis 100 aquae et titra cum solutione natrii thiosulfurici decinormali, solutionem amyli indicatorem adhibens, usque ad decolorationem miscellae.

Experimento ficto examina, adhibenda reagentia aequalia et temporis spatium aequale, titrum solutionis iodi cum hydrargyro bichlorato ad solutionem natrii thiosulfurici decinormalem.

Rationem numeri iodi ineas multiplicando differentiam centimetrorum cubicorum solutionis natrii thiosulfurici consumptorum in utroque tentamine cum 1.2697 et dividendo summam statutam pondere pinguedinis adhibitae. Numerus hoc modo repertus — numerus iodi — indicat quantitatem partium centesimarum iodi alligatam pinguedine adhibita.

Solutio iodi cum hydrargyro bichlorato (*Hübl*) paretur solvendo separatim grammata 25 iodi et grammata 30 hydrargyri bichlorati in centimetris cubicis 500 spiritus vini 95 proc. Solutio hydrargyri bichlorati, si necesse est filtrata commisceatur cum aequali volumine solutionis iodi. Haec mixtio fiat diebus duobus usui antecedentibus.

Oleum Amygdalarum.

Rp: **Amygdalarum dulcium** *q. v.*

Contunde in pulverem, quem sacculo inclusum in prelo primum leniter tum fortissime exprimas. Oleum per chartam bibulam filtratum serva.

Sit limpidum, coloris pallide flavi, odoris fere expers, saporis mitissimi haud rancidi, non exsiccans,

frigore non spissescens, ponderis specifici 0·915—0·920, facile in aethere et in chloroformio solubile.

Mixtio ex āā centimetris cubicis 5 acidi nitrici fumantis et aquae cum centimetris cubicis 10 Olei vehementer conquassata evadat albida, nec rubra, nec fusca et peractis maximum 6 horis sepositionis temperatura 10° massam solidam albam praebeat; stratum aquosum acidum sit decolor.

Numerus saponificationis sit circiter 190—195, numerus iodi 94—100.

Oleum Aurantii florum.

Oleum aethereum e floribus recentibus *Citri Aurantii* destillatione paratum sit recens decolor aut subflavum, parum fluorescens, tempore flavescens, demum e fusco flavum, odoris florum Aurantii peculiaris suavissimi, saporis primum subdulcis, tum amari et aromatici, ponderis specifici 0·870—0·880, facillime in spiritu vini solubile. Solutio spirituosa colore violaceo fluorescit.

Oleum Aurantii pericarpii.

Oleum corticis fructus Aurantii.

Oleum aethereum e pericarpio recente *Citri Aurantii* obtentum sit limpidum, odoris pericarpii fructus Aurantii peculiaris, saporis grate aromatici cum aliqua amaritudine, ponderis specifici 0·848—0·852, in spiritu vini facile solubile. Tractu temporis particulas crystallinas, in spiritu vini solubiles deponit.

Oleum Betulae empyreumaticum.

E radice, ligno et cortice *Betulae albae* (L.) destillatione sicca obtentum oleum empyreumaticum; sit coloris fusco-nigri, odoris empyreumatici peculiaris penetrantis, coriarii.

Pars 1 Olei Betulae empyreumatici cum partibus 20 aquae conquassata filtratum praebeat, quod guttis 15 miscellae e parte 1 ferri sesquichlorati soluti et partibus 1000 aquae paratae additis colorem viridem persistentem trahat.

Oleum Cacao.

Pinguedo e seminibus *Theobromae Cacao* (L.) decorticatis expressione calida et filtratione obtenta, consistentiae sebi, temperatura consueta fragilis, calore 30°—35° sine ullo residuo liquorem coloris subflavi, odoris grati seminis Cacao tosti praebens. Solvitur limpide in partibus 2 aetheris; solutio etiam per diem temperatura 12°—15° limpida maneat.

Cum miscella e partibus 2 aquae et parte 1 ammoniae conquassatum Oleum Cacao fluidum lacteum ne exhibeat.

Numerus saponificationis sit circiter 190—196, numerus acidi 12—22, numerus iodi circiter 34—38.

Oleum Caiuputi.

Melaleuca Leucadendron L., arbor in insulis Indiae orientalis spontanea.

Oleum aethereum e foliis destillatione paratum sit limpidum, coloris viridis, odoris peculiaris cineoli, camphoram monentis, saporis aromatici, parum urentis

postea refrigerantis, ponderis specifici 0·920—0·930, in spiritu vini facillime solubile.

Oleum camphoratum.

Rp: **Camphorae**	*partem*	1
contritam cum		
Olei Sesami	*partibus*	3.

Digere in balneo aquae usque ad solutionem perfectam et filtra.

Liquor oleosus flavidus, ponderis specifici 0·930—0·935, camphoram fortiter redolens.

Quodsi centimetra cubica 10 Olei camphorati cum aequali volumine spiritus vini in tubo apto fortiter conquassaveris post sepositionem stratum spirituosum ne minus quam centimetra cubica 13 efficiat.

Oleum Citri.

Oleum aethereum e pericarpio recente *Citri Limoni* obtentum sit limpidum, tenue, coloris e flavido pallentis, odoris pericarpii Citri peculiaris, saporis amaro-aromatici et acris, ponderis specifici 0·858—0·861, in partibus 5 spiritus vini solubile.

Oleum Crotonis.

Croton Tiglium L., arbor Indiae orientalis.

Oleum pingue, e seminibus maturis expressione obtentum sit limpidum, paulum spissum, coloris flavi, odoris debilis ingrati calore magis manifesti, saporis initio mitis sed mox valde acris, urentis, ponderis specifici 0·94—0·95 reactionis acidae; solvitur ope caloris in duplo volumine

alcoholis absoluti, maxima ex parte in spiritu vini, ex toto in aethere et in chloroformio.

Mixtio ex $\overline{aa}$ centimetro cubico acidi nitrici fumantis et aquae cum centimetris cubicis 2 Olei fortiter conquassata elapso tempore maxime dierum 2 nec ex toto, nec ex parte rigescat.

Numerus saponificationis sit circiter 212, numerus iodi circiter 102.

Servetur in lagenis parvis Oleo perfecte impletis et optime obturatis a luce remotis.

Oleum Foeniculi.

E fructibus *Foeniculi* paratum oleum aethereum sit limpidum, decolor vel parum flavescens, odoris fructus Foeniculi peculiaris, saporis subdulcis, ponderis specifici 0·965—0·975, in aequali volumine spiritus vini solubile.

Refrigerando ad nonnullos gradus sub 0° Oleum Foeniculi crystallos anetholi demittit, quae temperatura + 5° liquescunt.

Oleum Hyoscyami foliorum coctum.

Rp: **Foliorum Hyoscyami** (II) *partes* 100.

Humecta aequabiliter cum miscella e

Spiritus Vini *partibus* 75

Ammoniae *partibus* 2.

Sepone in vase tecto per horam, tum adde

Olei Sesami *partes* 1000

et calefac miscellam in balneo aquae usque ad perfectam spiritus vini evaporationem. Exprime et filtra.

Oleum sit coloris e fusco viridis, odoris peculiaris haud grati.

Oleum Iecoris Aselli.

Gadus Morrhua L. et aliae *Gadi* species, pisces maria septemtrionalia incolentes.

Oleum pingue, leni calore in balneo vaporis ex hepate recente obtentum spissiusculum, limpidum, coloris ochroleuci, odoris et saporis debilis piscini nec rancidi, ponderis specifici 0·922—0·927.

Charta exploratoria caerulea, spiritu vini humectata Oleo ne nisi perpaulum rubescat.

Temperatura 0° diutius sepositum stearini aut aliarum pinguedinum nihil vel nonnisi pauxillum demittat.

Gutta acidi sulfurici concentrati instillando in nonnullas guttas Olei colorem violaceum efficit, qui celeriter in colorem e fusco rubrum abit.

Eadem reactio oritur, quodsi guttae Olei, solutae in guttis 20 carbonei sulfurati in tubulo probatorio guttam acidi sulfurici concentrati addideris.

Guttae 15 Olei, adiectis guttis 3 acidi nitrici fumantis, in patina porcellanea ope bacilli vitrei agitando mixtae statim colorem fervide roseum accipiant, qui elapsis horis 1—2 in colorem mere citrinum nec fuscum abeat.

Mixtio ex āā centimetris cubicis 5 acidi nitrici fumantis et aquae cum centimetris cubicis 10 Olei in tubulo probatorio fortiter conquassata, elapso tempore dierum 2 nec ex toto nec partim rigescat, sed massam fracidam rubram exhibeat.

Numerus saponificationis sit circiter 184—195, numerus iodi circiter 120—145.

Servetur in lagenis Oleo perfecte impletis in loco umbroso et frigido.

Oleum Iuniperi.

Oleum aethereum, e fructibus *Iuniperi* destillando paratum sit limpidum, decolor vel e viridi flavum, tenue, odoris et saporis proprii aromatici, ponderis specifici 0·865—0·880, in spiritu vini parum solubile.

Oleum Iuniperi empyreumaticum.

Oleum cadinum.

E ligno *Iuniperi Oxycedri* (L.) destillatione sicca obtentum oleum empyreumaticum; sit obscure fuscum, spissiusculum, picis liquidae simile, maxima e parte in aethere solubile.

Pars 1 Olei, cum partibus 20 aquae conquassata filtratum praebeat, quod guttis 15 miscellae ex parte 1 ferri sesquichlorati soluti et partibus 1000 aquae paratae additis colorem rubrum persistentem trahat.

Oleum Lauri.

Laurus nobilis vide: Fructus Lauri.

Pinguedo e fructibus recentibus ope coctionis cum aqua et expressionis parata unguenti mollis consistentiae, granulosa, coloris viridis, odoris laurini, saporis balsamici, amaricantis et unguinosi, temperatura 40° liquescens, ponderis specifici 0·933, in aethere et benzolo plane et limpide solubilis.

Pars 1 Olei cum partibus 2 spiritus vini calefacta liquorem praebeat, qui post refrigerationem decantatus, addita ammonia colorem fuscum ne induat.

Numerus saponificationis sit 200—214, numerus iodi 67—70·5.

Oleum Lavandulae.

Oleum aethereum e floribus *Lavandulae* destillando paratum sit decolor vel subflavescens, limpidum, tenue, odoris florum Lavandulae peculiaris suavis, saporis aromatici et amari, ponderis specifici 0·885—0·895, facillime in spiritu vini solubile.

Oleum Lini.

E seminibus *Lini* expressione calida paratum oleum pingue siccescens, spissiusculum, limpidum, coloris e subfusco flavi, odoris peculiaris ingrati, ponderis specifici 0·932—0·937, temperatura — 20° adhuc liquidum.

Numerus saponificationis sit circiter 187—195, numerus iodi 160—187.

Rancidum, turbidum vel nimis spissum reiiciatur.

Oleum Macidis.

Myristica fragrans vide: Arillus Myristicae.

Ex arillis destillatione paratum oleum aethereum sit decolor aut subflavum, odoris et saporis Macidis peculiaris, ponderis specifici 0·890—0·930, in partibus 3 spiritus vini limpide solubile.

Tractu temporis evadit subfuscum et stearoptenum deponit.

Oleum Menthae piperitae.

Oleum aethereum e foliis recentibus *Menthae piperitae* destillando paratum sit limpidum, decolor, parum flavescens vel subviride flavescens, tenue, odoris

foliorum Menthae piperitae peculiaris grati, saporis valde aromatici primo urentis tum refrigerantis, ponderis specifici 0·900—0·910, in partibus 4—5 spiritus vini diluti limpide solubile.

Miscella e guttis 5 Olei Menthae piperitae et centimetro cubico acidi acetici concentrati, elapsis nonnullis horis colorem caeruleum induit, citius, si miscellae e centimetris cubicis 2 Olei Menthae piperitae et centimetro cubico acidi acetici concentrati guttam acidi nitrici addideris.

Oleum Myristicae expressum.

Myristica fragrans vide: Arillus Myristicae.

Substantia pinguis crystallino-granulosa consistentiae sebi, mixtio pinguedinum, olei aetherei et pigmenti, in India orientali parata e seminibus expressione calida, nobis advecta in massis forma laterum angustorum coloris variegati: aurantiaci aut rubicundo-fusci et albidi, odoris grati seminis Myristicae, saporis pinguis et aromatici, ponderis specifici 0·945—0·996.

Calore circiter 45° liquorem sublimpidum fuscorubrum praebet. In aethere, spiritu vini et chloroformio fervente solvatur, solummodo residuum perexiguum e parcissimis granulis amyli, cellulis discretis aut particulis telae seminis Myristicae relinquens.

Numerus saponificationis sit circiter 148—191, numerus iodi 35—48.

Oleum Olivae.

Olea Europaea L., arbor in regione mediterranea spontanea et culta.

Oleum pingue e sarcocarpio fructuum maturorum expressione frigida obtentum.

Ad usum pharmaceuticum nonnisi purissimum adhibeatur coloris flavi vel e viridi flavi, saporis mitis, odoris levis peculiaris, ponderis specifici 0·915—0·918. Calore circiter 10° rigescere incipit, temperatura 0° in massam solidam spissescit.

Centimetra cubica Olei 10 cum centimetris cubicis 5 et acidi nitrici fumantis et aquae temperatura 10° fortiter conquassando mixta, exhibeant massam coloris viridescente albidi, nec rubri nec fusci, quae elapsis horis 2 maxime 6 secedat in substantiam albam solidam et in liquorem fere decolorem.

Numerus saponificationis sit 188—203, numerus iodi 80—85.

Oleum phosphoratum.

Rp: **Phosphori**	*partem*	1
Olei Olivae	*partes*	949.

Calefac in lagena temperatura 50° in balneo aquae, saepius et fortiter conquassando usque ad phosphori perfectam solutionem. Solutioni refrigeratae adde denuo fortiter conquassando

Alcoholis absoluti *partes* 50

et filtra statim per gossypium depuratum.

Sit liquor limpidus coloris flavi, phosphorum quidem redolens, ne autem nebulas albas emittens.

Servetur a luce remotum.

Oleum Pini Pumilionis.

Pinus Pumilio Haenke, arbusculus procumbens socialis in alpibus crescens.

Oleum aethereum e ramulis foliatis destillatione paratum sit decolor, odoris balsamici grati, subcitrini, saporis amari, aromatici et acris, ponderis specifici 0·865—0·875; temperatura 165° ebullire incipit; in spiritu vini ex toto solubile.

Oleum Resinae empyreumaticum.

Praeparatum venale, e colophonio destillatione sicca paratum spissiusculum, coloris flavi aut flavo-fusci, limpidum, odoris modice empyreumatici, ponderis specifici 0·96—0·99, in chloroformio, aethere et acido acetico concentrato plane solubile.

Numerus saponificationis sit 4—12, numerus iodi 50—80.

Oleum Ricini.

Ricinus communis L., planta in regionibus calidis fruticosa, apud nos culta herbacea annua.

Oleum pingue, e seminibus maturis decorticatis expressione obtentum limpidum et adeo lentum, ut in filum distrahi possit, decolor aut subflavescens, saporis initio blandi, tum inamoeni subacris, odoris expers, ponderis specifici 0·961—0·973, in spiritu vini facillime solubile; temperatura 0° flocculis crystallinis secedentibus turbidum evadit, in stratis tenuibus lente siccescit.

Mixtio e centimetris cubicis 3 Olei, tantidem carbonei sulfurati, centimetro cubico acidi sulfurici concentrati conquassando ne evadat nigro-fusca.

Numerus saponificationis sit 180 — 182, numerus iodi 80—85.

Oleum Rosae.

Oleum aethereum e floribus recentibus nonnullarum *Rosae* specierum cultarum destillatione paratum est flavescens, subspissum, temperatura 15°—22° solidescens, odoris fragrantissimi florum Rosae, saporis balsamici subacris, ponderis specifici 0·855—0·870 temperatura 20°; solvitur in 30 circiter partibus spiritus vini; solutio parum opalescit.

Oleum Rosmarini.

E foliis *Rosmarini* paratum oleum aethereum sit limpidum, decolor vel flavescens, tenue, odoris Rosmarini peculiaris, Camphorae similis, saporis aromatici, acris, ponderis specifici 0·900—0·920, in spiritu vini facillime solubile.

Oleum Santali.

Santalum album L., arbor Indiae orientalis.

Oleum aethereum e ligno suaviter aromatico destillatione obtentum spissiusculum, coloris ochroleuci, odoris valde aromatici, dilutum suavis, rosam aut ambram monentis, saporis mitis, amariusculi, ponderis specifici 0·975—0·980, reactionis acidulae; temperatura 275°—305° ebullit; solvatur limpide temperatura 20°—30° in partibus 5 spiritus vini diluti.

Numerus saponificationis sit circiter 5—15.

Oleum Sesami.

E seminibus *Sesami orientalis* (L.) expressione obtentum oleum pingue sit coloris pallide flavi, odoris fere expers, saporis mitis, ponderis specifici 0·921—0·924, facile in aethere et in chloroformio solubile.

Centimetra cubica 3 Olei Sesami cum centimetro cubico solutionis stanni chlorati conquassata et in balneo aquae calefacta colorem rubrum trahunt.

Centimetra cubica 5 acidi nitrici fumantis cum aequali volumine aquae et centimetris cubicis 10 Olei Sesami temperatura 10° vehementer conquassata mixtionem rubram praebeant, quae nonnullis horis peractis partim solidescit; stratum aquosum acidum colorem rubrum accipit.

Numerus saponificationis sit 187—193, numerus iodi 102—111.

Oleum Sinapis aethereum.

E seminibus *Sinapis nigrae* ab oleo pingui expressione liberatis et dein in aqua maceratis destillatione paratum, decolor aut flavescens, limpidum, odoris penetrantissimi acris, saporis valde urentis, in cute qua rubefaciens agit.

Oleum Sinapis est ponderis specifici 1·016—1·025, temperatura 148°—152° ebullit, facile in spiritu vini et in aethere, parum in aqua solubile; solutio aquosa cito decomponitur.

Grammata 3 Olei Sinapis grammis 6 acidi sulfurici concentrati refrigerati sensim admixta conquassando vehementer effervescunt et in liquorem spissum flavum abeunt.

Solutio spirituosa Olei Sinapis (1 = 6) additis nonnullis guttis ferri sesquichlorati soluti ne mutetur.

Oleum Terebinthinae.

E *Terebinthina communi* ope aquae vaporum oleum aethereum destillatum sit limpidum, decolor aut paulum

flavescens, odoris Terebinthinae peculiaris, saporis pungentis amariusculi, ponderis specifici 0·865—0·870; calore 160° ebullire incipit. Ex aëre oxygenium attrahit et spissescit. Oleum Terebinthinae in circiter partibus 8 spiritus vini limpide solvatur.

Oleum Terebinthinae rectificatum.

Ex *Oleo Terebinthinae,* antea cum aqua calcis sive kalio hydrooxydato soluto conquassato rectificatione obtentum sit limpidum, decolor, ponderis specifici 0·860—0·870, in 7 circiter partibus spiritus vini solubile. Solutio chartam exploratoriam aqua humectatam ne mutet. Calore 155°—162° ebulliat.

Oleum Valerianae.

Oleum aethereum e radice *Valerianae* destillatione paratum sit limpidum, coloris flavo-viridis aut fusco-flavi, primum tenue, temporis tractu spissius, tenax, odoris radicis Valerianae proprii, saporis aromatici camphoracei, reactionis leviter acidae, ponderis specifici 0·93—0·96. In aqua parum, in spiritu vini facillime solubile.

Opium.

Papaver somniferum L., planta annua, in Oriente indigena ibique maxime culta.

Succus lacteus, in Asia minore e capsulis immaturis vulneratis elicitus aëreque inspissatus.

Occurrit plerumque in placentis paulo compressis, disciformibus aut subglobosis, folio Papaveris accurate

involutis et fructibus Rumicis speciei nonnunquam conspersis.

Recentes sunt molliores, intus humidae, tenaces, glutinosae, exsiccatae durae, in fractura granulata coloris e rubro fusci, odoris proprii narcotici, saporis amari et acris.

Pulvis Opii, e flavo vel e rubro fuscus, microscopio exploratus ne exhibeat grana amyli neve particulas alicuius telae vegetabilis, exceptis paucis fragmentis epidermidis exterioris fructus vel vestigiis folii Papaveris somniferi.

100 partes combustae ne plus quam partes 6 cineris relinquant. Eadem quantitas ne minus quam partes 40 extracti praebeat.

Usui pharmaceutico Opium, folio Papaveris quo obtectum remoto, concidatur et calore 100° non superante exsiccatum in pulverem redigatur, qui subsequente ratione examinatus, in 100 partibus ne minus quam partes duodecim (12) morphini praebeat.

Grammata 6 pulveris, temperatura 100° siccati misce terendo in mortario cum grammis 10 aquae. Miscellam immitte, mortarium aqua eluendo, in cucurbitam antea ponderatam et adde tantum aquae, ut pondus liquoris totius sit grammatum 60. Sepone interdum conquassando per quadrantem horae, tum filtra per filtrum in rugas artatum radii centimetrorum 5. Liquoris filtrati grammis 43 adde grammata 2 ammoniae normalis; misce versando et statim filtra per filtrum in rugas artatum radii centimetrorum 5.

Huius filtrati grammata 40 misce versando nec conquassando in cucurbita cum grammis 10 aetheris acetici, adde grammata 4 ammoniae normalis et conquassa miscellam, cucurbita optime obturata, fortiter

per 10 minuta. Tum adde miscellae denuo grammata 10 aetheris acetici, filtra per filtrum laevigatum radii centimetrorum 4 ponderis noti et ablue contentum filtri binis vicibus grammis 5 aquae, aethere acetico saturatae. Liquore plane exstillato sicca temperatura 100° et trutina examina.

Massa crystallina sic obtenta, ponderis minime centigrammatum 48, respondentis partibus centesimis 12 morphini, cum partibus 100 aquae calcis conquassata, aliquot horis peractis solutionem flavidam praebeat, quae aqua chlori paullatim affusa, colorem permanentem e fusco rubrum, ferro sesquichlorato soluto admixto caeruleum vel viridem trahat.

Ad dispensationem directam nec non ad parandum pulverem Ipecacuanhae opiatum, pulvis Opii, continens partes centesimas morphini 12 et ultra commisceatur exactissime pulvere Sacchari Lactis q. s., ut pulvis sic obtentus, Pulvis Opii praeparatus signatus, decem partes centesimas morphini accurate contineat.

Oxymel Scillae.

Rp: **Extracti Scillae** *partem* 1.
Solve in
Acidi acetici concentrati *parte* 1.
Adde
Mellis depurati *partes* 98.

Oxymel simplex.

Rp: **Acidi acetici concentrati** *partem* 1
Mellis depurati *partes* 99.
Misce.

Paleae haemostaticae.

Penawar Diambi. Pulu.

Cibotium Baromez J. Sm. et aliae species *Cibotii* nec non aliorum generum filicum, plerumque arborescentium Indiae orientalis insularumque Oceani pacifici.

Paleae filiformes, rhizoma et bases stipitum indumento densissimo vestientes et ab iis desumptae in massis mollissimis, sericeo-lanosis, coloris flavo-fusci aut aurei, nitoris sericei aut submetallici broncei, singulae 3—7 centimetra longae, forma pili simplicis pluricellularis compressi.

Paraffinum liquidum.

Liquor oleo similis limpidus decolor, odoris et saporis expers, ponderis specifici minime 0·880; temperatura 360° nondum ebullit.

Paraffinum liquidum cum aequali pondere spiritus vini coctum huic reactionem acidam ne tribuat.

Si centimetra cubica 3 Paraffini liquidi cum aequali volumine acidi sulfurici concentrati in tubo probatorio, antea acido sulfurico tepido eluto, in balneo aquae per 10 minuta saepius conquassando calefiunt, Paraffinum liquidum ne mutetur, acidum sulfuricum tantummodo leviter fuscescat.

Pastilli.

Ad parandos Pastillos in genere substantiae medicamentosae pulveratae aut granulatae purae vel admixto saccharo aut massa cacaotina ope apparatus proprii in formas desideratas comprimuntur.

Nonnunquam substantia pulverata spiritu vini humectari oportet, in singulis casibus adiecto amylo vel pulvere Tragacanthae solubilitas massae Pastillorum adiuvatur, attamen additamentum mucilaginis gummi Acaciae massam durissimam efficit, quare vitandum est.

Pondus Pastillorum variat dependens a quantitate medicamenti praescripti. In genere singuli Pastilli sint ponderis grammatis unius.

Pastilli Hydrargyri bichlorati corrosivi.

Rp: **Hydrargyri bichlorati corrosivi**
Natrii chlorati *aa partes aequales.*

Triturando perfectissime mixtae et cum solutione eosini coloratae compressione in pastillos formentur ponderis et grammatum 2 et grammatis 1.

Pastilli coloris rubri, duri, in aqua facillime et perfecte colore roseo solubiles, quorum singuli continent Hydrargyri bichlorati corrosivi gramma unum (1·0) aut decigrammata quinque (0·5).

Pulverati et cum sufficiente quantitate aetheris extracti ne plus residui, quam dimidiam ponderis pastilli partem relinquant.

Dispensentur sub signo „Venenum“ in vasis vitreis clausis. Pastilli singuli dentur ad chartam nigram sub signatura „Venenum“ in litteris albis.

Cautissime serventur a luce remoti in loco sicco.

Pastilli Ipecacuanhae.

Rp:			
Rp:	**Radicis Ipecacuanhae** (VI)	*gramma*	1
	Sacchari in pulvere	*grammata*	50.

Misce exactissime et forma lege artis pastillos 100 quorum singuli continent

Radicis Ipecacuanhae in pulvere	*centigramma*	1.

Pastilli Natrii hydrocarbonici.

Rp:	**Natrii hydrocarbonici**	*grammata*	25
	Sacchari in pulvere	*grammata*	75
	Olei Menthae piperitae	*guttas*	5.

Misce exactissime et forma lege artis pastillos 100 quorum singuli continent

Natrii hydrocarbonici	*centigrammata*	25.

Pastilli Santonini.

Rp:	**Santonini**	*grammata*	2·5
	Sacchari in pulvere	*grammata*	100.

Misce exactissime et forma lege artis pastillos 100 quorum singuli continent

Santonini	*milligrammata*	25.

Pepsinum.

Pulvis subtilis albus vel parum flavescens, odoris et saporis paene expers, in aqua non limpide solvendus; solutio guttis aliquot acidi hydrochlorici adiectis limpidior evadit.

Pepsini decigramma in centimetris cubicis 100 aquae et centrimetris cubicis 1·6 acidi hydrochlorici diluti solutum, grammata 10 albuminis ovi cocti subtiliter contriti intra 4 horas calore 40° saepius conquassando ad liquorem paulum opalescentem solvat.

Pericarpium Aurantii

Cortex fructus Aurantii.

Citrus Aurantium subspecies *amara* vide: Folia Aurantii.

Pericarpium, e fructibus maturis in segmentis plerumque ellipticis detractum et siccatum exhibet stratum exterius tuberculato-rugosum e rubro fuscum, scatens receptaculis oleo aethereo repletis, valde aromaticum et amarum et stratum interius album spongiosum subamarum nec aromaticum, quod maceratione in aqua frigida cultro removendum est.

100 partes Pericarpii Aurantii, spiritu vini exhaustae, ne minus quam partes 38 extracti praebeant. Eadem quantitas combusta ne plus quam partes 6 cineris relinquat.

Phenylum salicylicum.*)

Lamellae crystallinae albae, nitidae, odoris debilis aromatici, saporis fere expertes, in aqua insolubiles, in spiritu vini, aethere et chloroformio facile solubiles; temperatura 42°—43° liquescunt.

Solutio spirituosa, addito ferro sesquichlorato soluto, colorem violaceum trahit, addita aqua bromi praecipitatum album demittit.

Phenylum salicylicum cum natrio hydrooxydato soluto calefactum liquorem praebet limpidum, qui refrigeratus et acido hydrochlorico supersaturatus acidum salicylicum deponit.

---

*) Occurit in mercatura sub nomine „Salol“.

Phenylum salicylicum sit reactionis neutrius neque odoris valde aromatici. Cum partibus 50 aquae conquassatum filtratum praebeat, quod addito ferro sesquichlorato soluto ne colorem violaceum induat neque baryo nitrico vel argento nitrico turbetur.

Decigrammata 2 Phenyli salicylici ignita residuum ponderabile ne relinquant.

Phosphorus.

Bacilli cylindrici decolores aut flavescentes, diaphani, cerae instar nitentes, sub aqua calore 44° liquescentes. Aëre fumum album, in loco obscuro lucentem emittunt et odorem peculiarem alliaceum spargunt. Phosphorus est facile inflammabilis; incensus flamma intense lucida deflagrat, fumum densum album evolvens; tempore rubescit.

Phosphorus in aqua insolubilis facile solvitur in carboneo sulfurato, difficilius in oleis pinguibus et in oleis aethereis; parum solubilis in spiritu vini et in aethere.

Servetur cautissime, aqua superfusus, in vitro, vasi e ferro laminato immisso et circumdato arena in loco tuto ab igne et gelu.

Physostigminum salicylicum.

Eserinum salicylicum.

Crystalluli decolores vel subflavescentes nitidae, in aqua difficile, facilius in spiritu vini solubiles: solutio

aquosa (1 = 100) est reactionis neutrius. Sal siccum vel luci plenae expositum, per longius temporis spatium immutatum manet, attamen solutio eius aquosa aut spirituosa vel luci dispersae exposita intra paucas horas colorem subrubrum trahit.

Solutio aquosa Physostigmini salicylici, addito ferro sesquichlorato soluto, colorem violaceum induit, addita solutione iodi turbatur. Solutio in acido sulfurico concentrato initio decolor, postea flavum colorem trahit.

In ammonia fervida Physostigminum salicylicum facile solvitur; solutio obtenta coloris flavo-rubri evaporata residuum coloris caerulei vel e caeruleo grisei relinquit, quod in spiritu vini solutum liquorem caeruleum praebet, qui acido acetico supersaturatus colorem rubrum trahit. Residuum caeruleum in gutta acidi sulfurici colore viridi solvitur, addito guttatim spiritu vini liquor ruber evadit.

Centigramma Physostigmini salicylici ignitum residuum ne relinquat.

Pilocarpinum hydrochloricum.

Crystalli albae, fere neutrae, saporis subadstringentis amari, aëre humescentes, in aqua et spiritu vini facile, aegre in chloroformio et aethere solubiles, temperatura 193°—195° liquescentes. In acido sulfurico concentrato solvuntur; solutio est coloris expers, in acido nitrico concentrato colore subviridi-pallente solvuntur.

Solutio aquosa (1 = 100) reactionis acidulae addita solutione iodi praecipitatum rubro-fuscum, solutione argenti nitrici praecipitatum album caseosum

demittit, ammonia non turbatur; natrium hydrooxydatum solutum solutionem nonnisi concentratam turbat.

Ignitum sine residuo comburat.

Pilulae Acidi arsenicosi compositae.

Pilulae Asiaticae.

Rp:	**Acidi arsenicosi** (VI)	*gramma*	1
	Piperis nigri (VI)	*grammata*	20
	Radicis Liquiritiae (VI)	*grammata*	50
	Mucilaginis Gummi Acaciae	q. s.	

ut fiat massa aequabilis, e qua formentur
Pilulae 1000
conspergendae magnesia carbonica.

Singulae pilulae continent
Acidi arsenicosi *milligramma* 1.

Pilulae Ferri carbonici.

Rp:	**Ferri sulfurici praecipitati**	*grammata*	10
	Sacchari	*grammata*	4
	Kalii carbonici puri	*grammata*	5
	Glycerini	*grammata*	6.

Misce exactissime addendo

Magnesii oxydati	*gramma*	1
Radicis Althaeae (VI)	*grammata*	14.

Fiat massa, e qua formentur Pilulae 200
conspergendae pulvere corticis Cinnamomi.

Pilulae singulae continent circiter
Ferri *centigramma* 1.

Pilulae Kreosoti.

Rp:	Kreosoti	*grammata*	5
	Cerae flavae liquatae	*grammata*	2·5
	Radicis Liquiritiae (VI)		
	Extracti Liquiritiae venalis depurati $\overline{aa}$	*grammata*	6
	Mucilaginis Gummi Acaciae		*q. s.*

ut fiat massa, e qua formentur lege artis
Pilulae 100,
quarum singulae continent
Kreosoti *centigrammata* 5.

Pilulae laxantes.

Rp:	Aloes (VI)	*partes*	32
	Radicis Ialapae (VI)	*partes*	45
	Saponis medicinalis (VI)	*partes*	15
	Fructus Anisi vulgaris (V)	*partes*	8.

Misce, fiant lege artis Pilulae ponderis
decigrammatum 2.

Pix liquida.

Praeparatum venale e ligno Fagi silvaticae destillatione sicca obtentum sistit liquorem spissum oleosum, aqua graviorem, coloris nigro-fusci, odoris empyreumatici peculiaris, kreosotum redolentis, saporis nauseosi, amari et urentis.

Pix liquida, cum aqua conquassata huic odorem saporemque picis et reactionem acidam tribuit.

Placentae seminum Lini.

Residua seminum Lini comminutorum et olei parandi causa expressorum sub forma placentarum durarum, coloris griseo-fuscescentis, ad pulverem (III) redacta praesto sint.

Ope microscopii in pulvere coloris griseo-subfusci, odoris nauseosi, observantur inprimis particulae parenchymatis decoloris cotyledonum e cellulis parvis leptodermis polyedris, granulis aleuri et plasmate oleoso repletis et fragmenta testae eiusque telae, praecipue: cellulae magnae polygonae decolores mucilaginiferae epidermidis, fragmenta strati e fibris fusiformibus membrana plus minusve incrassata flavida et grosse porosa, cellulae parvae polygonae membrana sat crassa porosa, pigmento homogeneo fusco-rubro repletae nec non pigmentum ipsum e cellulis elapsum in tabulis polygonis, saepe quadrigonis. Amylo caret pulvis ex toto.

100 eius partes ne plus quam partes 6 cineris relinquant.

Plumbum aceticum.

Crystalli coloris expertes, leviter fatiscentes, acidum aceticum redolentes, in partibus 2·3 aquae perexiguo nonnisi residuo relicto solubiles.

Solutio aquosa, saporis subdulcis adstringentis, aqua hydrosulfurata praecipitatum nigrum, acido sulfurico diluto album, kalio iodato flavum demittit. Ferro sesquichlorato soluto addito liquor, plumbo chlorato deposito, supernatans colore rubro tingitur.

Solutio aquosa (1 = 10) kalio ferrocyanato sedimentum pure album demittat.

Plumbum aceticum basicum solutum.

Rp:	**Plumbi acetici**	*partes*	30
	Plumbi oxydati (V)	*partes*	10
	Aquae fervidae	*partes*	100.

Contere et si opus fuerit calefac tamdiu, ut mixtio colorem lacteum acceperit. Tum substituendo aquam evaporatam sepone et liquidum filtra.

Sit liquor limpidus decolor aut maxime subopalescens, reactionis alcalinae, ponderis specifici 1·23—1·24.

Addito ferro sesquichlorato soluto sedimentum album deponat, liquor colorem rubrum trahat.

Adiecta ammonia abundante Plumbum aceticum basicum solutum filtrando liquorem decolorem exhibeat.

Plumbum carbonicum.

Cerussa.

Pulvis ponderosus albissimus, valde depingens, in aqua insolubilis; in acido acetico sive nitrico diluto sub effervescentia solvitur. Solutio obtenta natrio hydrooxydato soluto praecipitatum album, in eius excessu solubile efficit, aqua hydrosulfurata nigrum, acido sulfurico diluto album sedimentum demittit.

Gramma Plumbi carbonici in centimetris cubicis 2 acidi nitrici et 4 aquae solutum ne plus quam centigramma residui relinquat; solutio obtenta gase hydrosulfurato abundante praecipitata filtratum praebeat, quod evaporando residuum ponderabile ne relinquat.

Ignitum minimum partes 85 plumbi oxydati e 100 partibus relinquat.

Plumbum hyperoxydatum rubrum.

Minium.

Pulvis ruber, in aqua insolubilis, acido hydrochlorico admixto chlorum emittens sedimento albo crystallino effecto.

Miscella e grammis 2·5 Plumbi hyperoxydati rubri et 5 decigrammis acidi oxalici sensim in centimetra cubica 12 acidi nitrici fervidi immissa, additis centimetris cubicis 25 aquae bullientis fere ex integro solvatur, ne plus quam milligrammata 25 residui relinquens.

Plumbum iodatum.

Pulvis crystallinus ponderosus ex aureo flavus, in partibus circiter 2000 aquae frigidae, facilius in aqua fervida nec non in solutione ammonii chlorati solubilis; calefactus liquescit et vapores violaceos emittit.

Solutio aquosa, ope ammonii chlorati parata acido sulfurico diluto addito praecipitatum album, aqua hydrosulfurata nigrum demittit.

Solutio grammatis Plumbi iodati in aqua fervida ope ammonii chlorati parata et gase hydrosulfurato abundante praecipitata filtratum praebeat, quod ad siccum evaporatum et ignitum residuum ponderabile ne relinquat.

Plumbum oxydatum.

Lithargyrum.

Pulvis subflavus vel rubro-flavescens sive massa squamosa eiusdem coloris, in aqua insolubilis; in acido nitrico aqua diluto perfecte solvitur. Solutio coloris

expers aqua hydrosulfurata praecipitatum nigrum, acido sulfurico album, in natrio hydrooxydato solubile demittit.

Solutio ope acidi nitrici diluti parata addito acido sulfurico diluto superabundante filtratum praebeat, quod addita ammonia decolor maneat vel nonnisi colorem subcaeruleum induat nec praecipitatum perceptibile rubro-fuscum deponat.

Grammata 5 Plumbi oxydati cum aequali pondere aquae conquassata et dein cum centimetris cubicis 20 acidi acetici calefacta parum nonnisi effervescant et maxima ex parte solvantur; residuum relictum ne sit plus, quam centigrammatum 5.

Ignitum ne plus quam partem centesimam ponderis perdat.

Potio Magnesii citrici effervescens.

Rp: **Magnesii carbonici** *grammata* 8
Sacchari *grammata* 40
Olei Citri *guttam* 1.
Contere cum
Aquae *grammis* 300
et immitte in lagenam idoneam; tum adde
Acidi citrici in crystallis *grammata* 12.

Lagena cito claudatur subere et ligamento apto et conquassetur leniter nonnullis vicibus usque ad magnesii carbonici perfectam solutionem.

Protargolum.

Pulvis subtilissimus subfuscus, odoris expers, in aqua facillime solubilis. Solutio aquosa (1 = 100) est limpida, coloris rubro-fusci, reactionis alcalinae; addito

kalio hydrooxydato soluto et nonnullis guttis cupri sulfurici soluti colorem purpureum induit.

Ignitum residuum subfuscum relinquit, quod acido nitrico diluto facile solvitur; solutio obtenta addito acido hydrochlorico praecipitatum album caseosum, in ammonia solubile demittit.

Solutio Protargoli aquosa (1 = 50) addito natrio chlorato soluto praecipitatum ne edat.

Protargolum contineat in 100 partibus partes circiter 8 argenti, quapropter residuum grammatis Protargoli in crucibulo porcellaneo combusti, in acido nitrico diluto vase tecto solutum, post neutralisationem cum calcio carbonico liquorem praebeat, qui additis centimetris cubicis 20 solutionis natrii chlorati decinormalis et guttis 2 kalii chromici centimetra cubica 2·6 solutionis argenti nitrici decinormalis consumat, ut praecipitatum rubrum permiscendo non amplius evanescens adpareat.

Protargolum servetur et eius solutiones dispensentur in vasis luci imperviis.

Pulpa Cassiae Fistulae.

Rp: **Fructus Cassiae Fistulae** *q. v.*

Exime pulpam cum septis transversis et seminibus ope spatulae, digere cum sufficiente quantitate aquae tepidae et separa ope cribri setacei (IV) pulpam, quam in patina porcellanea evapora in balneo aquae ad extracti tenuis consistentiam. Tum

Pulpae sic inspissatae *partes* 3

commisce cum

Sacchari in pulvere *parte* 1

et evapora ad consistentiam pulpae legitimae.

Sit Pulpa Cassiae coloris e fusco nigri, odoris peculiaris, saporis grate dulcis. Contrita cum aqua ne exhibeat particulas grossiores telae vegetabilis.

Partes 100 Pulpae, temperatura 100° siccatae ne plus quam partes 40 ponderis perdant. Cinis obtentus e grammis 2 Pulpae Cassiae solutus calefaciendo in acido hydrochlorico diluto liquorem praebeat, qui filtratus aqua hydrosulfurata ne mutetur.

Pulpa Prunorum.

Rp: **Fructuum Prunorum** siccatorum et concisorum *q. v.*
Coque cum
Aquae *s. q.*
continue agitando usque ad emollitiem. Pultem per cribrum setaceum (IV) transmissam in patina porcellanea ope balnei aquae evapora ad extracti spissioris consistentiam. Tum huius
Pulpae inspissatae *partes* 3
commisce cum
Sacchari in pulvere *parte* 1
et evapora ad consistentiam pulpae legitimae.

Pulpa Prunorum sit coloris nigro-fusci, saporis dulcis et aciduli nec empyreumatici. Contrita cum aqua ne exhibeat particulas grossiores telae vegetabilis.

Partes 100 Pulpae temperatura 100° siccatae ne plus quam partes 40 ponderis perdant.

Praesentiam metallorum examines ut in pulpa Cassiae notatum.

Pulpa Tamarindi depurata.

Paretur e **Fructibus Tamarindi** ut pulpa Prunorum.

Sit coloris nigro-fusci, saporis grate acidi. Contrita cum aqua ne exhibeat particulas grossiores telae vegetabilis.

Partes 100 Pulpae temperatura 100° siccatae ne perdant ponderis plus quam partes 40.

Praesentiam metallorum examines ut in pulpa Cassiae praescriptum.

Pulvis aërophorus.

Rp: **Natrii hydrocarbonici** (V) *grammata* 2.
Dentur in chartam caeruleam.
Rp: **Acidi tartarici** (V) *grammata* 1·5.
Dentur in chartam albam.

Pulvis aërophorus Seidlitzensis.

Rp: **Kalii natrio-tartarici** (V) *grammata* 10
Natrii hydrocarbonici (V) *grammata* 3.
Bene mixta dentur in chartam caeruleam.
Rp: **Acidi tartarici** (V) *grammata* 3.
Dentur in chartam albam.

Pulvis dentifricius albus.

Rp: **Radicis Iridis** (VI)
Magnesii carbonici *āā partes* 10
Olei Menthae piperitae *partem* 1
Calcii carbonici praecipitati *partes* 79.
Misce exactissime.

Pulvis dentifricius niger.

Rp: **Corticis Chinae** (VI)
Foliorum Salviae (VI)
Carbonis Ligni depurati (VI) *āā partes aequales.*
Misce exactissime.

Pulvis gummosus.

Rp:	**Amyli Tritici**		
	Radicis Liquiritiae mundatae (VI)	*āā partem*	1
	Gummi Acaciae (VI)		
	Sacchari (V)	*āā partes*	2.

Misce exactissime.

Pulvis Ipecacuanhae opiatus.

Pulvis Doweri.

Rp:	**Radicis Ipecacuanhae** (VI)		
	Pulveris Opii praeparati (V)	*āā partem*	1
	Sacchari (V)	*partes*	8.

Misce exactissime.

Pulvis Liquiritiae compositus.

Rp:	**Olei Foeniculi**	*partem*	1
	Sulfuris depurati (V)	*partes*	10
	Radicis Liquiritiae mundatae (VI)		
	Foliorum Sennae (VI)	*āā partes*	20
	Sacchari (V)	*partes*	49.

Misce exactissime.

Radix Althaeae.

Althaea officinalis vide: Folia Althaeae.

Rami radicis carnosi, reiectis partibus lignosis et cariosis a stratis exterioribus corticis liberati et siccati in frustis variae magnitudinis, 1—1·5 centimetrum crassis, subcylindricis aut saepe obtuse quadrangulis, in superficie albida parvis cicatricibus fibrillorum radicis subfuscis obsitis et tenuissimis fibris libri, mundatione radicis solutis subtomentosis, in sectione mitibus farinosis, in fractura fibroso-granulata albis, odoris debilis peculiaris, saporis mucilaginosi dulciusculi.

In sectione transversa liber delicatissime et densissime, lignum amplum centrale vix evidenter radiatim striatum.

Ope microscopii explorata Radix eminet fibris libri longis et angustis modice incrassatis in fasciculis per endophloeum transversaliter dispositis, utriculis copiosissimis mucilaginiferis nec non cellulis permultis, singulis crystallum stellatam calcii oxalici includentibus in parenchymate corticis lignique amylo in granis simplicibus scatente.

In mercatura vulgari occurrit Radix plerumque scissa in frustulis subcuboideis albissimis.

Cave ne sit eiusmodi merx vetusta calcio sulfurico usto dealbata, quod facile dignoscendum examine sedimenti mercis aqua lavatae.

100 partes mercis ne relinquant plus quam partes 6 cineris mere albi.

Radix Angelicae.

Archangelica officinalis Hoffmann, planta biennis, in subalpinis paludosis, imprimis Europae borealis crescens, apud nos in hortis rusticorum non raro culta.

Merx constat e caudice brevi, ad 6 centimetra crasso, sursum tenuiter denseque annulato et vaginarum foliorum reliquiis saepe purpurascentibus comato unacum radicibus, ex eo undique prodeuntibus longis, usque ad millimetra 5 crassis simplicibus, mollibus, sulcatis, cortice crassiusculo, extus griseo-fusco, intus sordide albo, in sectione transversa notato receptaculis balsamiferis fulvis in endophloeo radiatim dispositis, amplioribus orificiis vasorum ligni subflavi grosse radiatim striati.

Radix Angelicae est odoris penetrantis aromatici, saporis acris, condimentarii, subdulcis.

100 partes mercis ne plus quam partes 8 cineris relinquant.

Reiiciatur merx insectis corrosa. Servetur in vasis bene clausis.

Radix Arnicae.

Rhizoma Arnicae.

Arnica montana, vide: *Flores Arnicae.*

Rhizoma horizontale aut obliquum praemorsum, siccatum subcylindricum, plerumque arcuatum vel sigmoïdeum, usque ad decimetrum longum, 3—5 millimetra crassum, asperum, subtuberculatum, durum, extus rubro-fuscum, ad extremitatem anteriorem caulis foliorumque residuis et solummodo inferne radicibus copiosis, circiter millimetrum crassis, fragilibus instructum, odoris debilis aromatici, saporis acri-aromatici et amariusculi.

In sectione transversa rhizomatis observatur stratum corticale sat latum albido-griseum, in regione intima, proxime a ligno composito e fasciculis cuneiformibus subcitrinis et radiis medullaribus latis albidis signatum circulo ductuum balsamiferorum, saepius binis aut ternis approximatis et medulla ampla albida.

In sectione transversa radicum observabis lignum centrale in medio fasciculo e fibris libriformibus, stratum corticale latissimum et circulum ductuum balsamiferorum proximum endodermidi. Cellulae parenchymatis Radicis Arnicae massa amorpha aut sphaerocrystallina inulini repletae sunt. Amylo Radix caret.

100 eius partes ne minus quam partes 14 extracti spirituosi exhibeant et combustae ne plus quam partes 15 cineris relinquant.

Radix Arnicae vere vel autumno colligatur nec confundatur cum rhizomate *Hieracii murorum* (L.), *Fragariae vescae* (L.) et *Betonicae officinalis* (L.) ductibus balsamiferis destituto nec cum rhizomate crassiore undique radicato *Eupatorii cannabini* (L).

Radix Bardanae.

Lappa vulgaris Neilreich, planta biennis, per totam fere Europam crescens.

Radix simplex aut subramosa, fusiformis vel subcylindrica carnosa, siccata saepe subtorta, 5—10 millimetra crassa, in extremitate superiore saepe residuum caulis albido-tomentosum ferens, extrinsecus longitudinaliter rugosa e nigrescente fusca, dura, fractura subcornea, in sectione transversa cortice crassiusculo albo, remote obscure radiato et ligno albido, fasciculis

ligni flavidis aut fuscescentibus minutim porosis grosse radiatim striato, saporis subdulcis, paulo mucilaginosi.

Cellulae parenchymatis Radicis, microscopii ope exploratae amylo et crystallis calcii oxalici carentis, repletae sunt massa amorpha aut sphaero-crystallina inulini.

100 partes Radicis ne plus quam partes 5 cineris relinquant.

Colligatur autumno primi vel vere secundi anni et bene siccata in loco sicco servetur. Reiicienda est Radix adultior lignosa aut e planta culta desumta maior, in segmentis saepe per longitudinem fissis coloris dilutioris, fusco-grisei aut cinerei obvia.

Radix Belladonnae.

Atropa Belladonna vide: *Folia Belladonnae.*

Radix fusiformi-cylindrica ramosa, sordide alba vel ochroleuca carnosa, siccata in segmentis cylindricis, saepe per longitudinem fissis ad decimetrum et ultra longis, 1—2 centimetra crassis, extus cinereis, per longitudinem leviter rugosis aut laeviusculis, intus albis aut albidis, farinosis, in fractura subaequali pulverem emittentibus, odoris nullius, saporis initio subdulcis, deinde amari, acris.

Sectio transversa, solutione iodi humectata induens colorem atro-caeruleum nec cortice, nec ligno manifeste radiatim striata fasciculis ligni paucis, exiguis, citrinis, porosis, versus lineam cambialem annulatim approximatis, intus sparsis.

Ope microscopii observantur numerosi utriculi repleti pulvere crystallino calcii oxalici in parenchymate

et corticis et ligni e cellulis leptodermis, amylo composito fetis.

Fodiatur Radix plantae florentis et fructus gerentis et reiectis partibus quoquo modo vitiatis celeriter siccata ne ultra annum in vase optime clauso in loco sicco servetur.

Radix lignosa, tenax, fractura fibrosa, in sectione transversa ligno citrino radiatim striato instructa aeque ac radix vere collecta et siccata, extus grosse rugosa, fuscescens, fractura subcornea, amylo fere omnino carens reiiciatur.

100 Radicis partes ne plus quam 6 partes cineris relinquant.

Radix Calami aromatici.

Rhizoma Acori.

Acorus Calamus L., planta perennis in Asia indigena, nunc in locis paludosis Europae mediae ubique sponte crescens.

Rhizoma sero autumno effossum et leni calore siccatum occurrit in frustis subcylindricis, paulum compressis aut per longitudinem fissis, in facie superiore alternis vicibus stigmata foliorum trigona, aliquantum depressa coloris fuscescentis et internodia longitudinaliter rugosa rubescentia aut olivaceo-brunescentia ostendens, a latere hinc inde stigmata scaporum et ramorum, in facie inferiore radicum cicatrices parvas orbiculares excavatas in curvaturis simplicibus aut duplicibus dispositas.

Textura mercis levis, intus albido-rubentis, odoris peculiaris aromatici, saporis amari et aromatici est subspongiosa propter canales aëriferos numerosos in paren-

chymate, amylum in granulis perpusillis continente nec non in innumerabilibus utriculis globosis oleum aethereum. Fasciculi vasorum concentrici et collaterales partim comitantur fibris libri incrassatis fibrisque leptodermis loculatis, crystallis simplicibus calcii oxalici minimis praeditis.

100 partes mercis ne minus quam partes 18 extracti spirituosi praebeant. Eadem quantitas mercis combusta ne plus quam partes 6 cineris relinquat.

Radix Calumbae.

Iatrorrhiza Calumba Miers, planta ad litora Africae orientalis intertropica habitans.

Radix flava siccata occurrit in segmentis transversis orbicularibus ellipticisve, usque ad 2 centimetra crassis, 3—8 centimetra in diametro intermixtis raris segmentis longitudinalibus. Sectio transversa Radicis satis levis, compactae, farinosae, saporis peramari, extus peridermate rugoso griseo-fusco obtectae, exhibet stratum corticale latum, in extrema parte citrinum, introrsus pallidius et remotis lineis fuscis radiatim signatum, linea circulari pulla cambii terminatum et lignum centrale subcitrinum aut cinereo-flavescens, grosse delineatum radiis fasciculorum ligni passim interruptis griseo-fuscis, porosis.

Sectio Radicis solutione kalii hydrooxydati humectata colorem fusco-rubrum, solutione iodi caeruleum accipit.

Parenchyma et corticis et ligni Radicis ope microscopii examinatae scatet granis amyli grossis (30—45 micromillimetra et ultra) simplicibus et plerumque irre-

gulariter compositis, stratis excentricis notatis. Stratum extremum parenchymatis corticis excellit cellulis sclereïdeis, saepe transversaliter porrectis, membrana citrina inaequaliter plus minusve incrassata et stratis ornata, quae continent crystallos calcii oxalici formae et magnitudinis variae, saepius simplices parvas numerosas in singula cellula, interdum formae sphaeritis aut pulveris crystallini.

100 partes mercis ne minus quam partes 9 extracti spirituosi exhibeant. Eadem quantitas mercis combusta ne plus quam partes 6 cineris relinquat.

Radix Filicis maris.

Rhizoma Filicis maris.

Aspidium Filix mas Swartz, planta perennis monticola fere totius Europae.

Rhizoma superficiale obliquum, 1—3 decimetra longum, 1—2 centimetra crassum, undique emittens radices fibrillosas atro-rufas descendentes et circumvallatum phyllopodiis confertis, arcuatis, adscendentibus compressiusculis, aliquot centimetra longis, 8—10 millimetra crassis, extrinsecus atrofuscis, squamis paleaceis ferrugineis obtectis, intus ut rhizoma ipsum carnosis, laete viridibus.

In sectione transversa phyllopodia signata sunt circulo simplici e paucis fasciculis vasorum remotis in parenchymate laete viridi; rhizoma ipsum praeterea exhibet circulum irregularem externum fasciculorum minorum.

Radix est saporis subdulcis, adstringentis, deinde subacris.

Colligatur autumno et quotannis renovetur. Ad pulverem parandum rhizoma a phyllopodiorum partibus non medullosis, paleis radicibusque fibrillosis liberatum una cum phyllopodiis decorticatis caute siccetur et pulvis laete viridis in vasis bene obturatis, luci imperviis servetur. Pulvis coloris flavidi aut cinnamomei reiiciatur.

Ope microscopii observabis parenchyma e cellulis polyedris, continentibus grana simplicia pusilla amyli in plasmate oleo-resinoso-tannico, abundans lacunis intercellularibus elongatis, in quas prominent cellulae propriae secretoriae piriformes aut ampulaceae. membrana tenui suberea et secreto balsamico viridi-fusco instructae; fasciculi vasorum concentrici, in sectione transversali plerumque elliptici aut orbiculares exhibent in medio vasa tracheïdea scalaria plus minusve ampla. circumdata parte phloëmica et endodermide uniseriali e cellulis leptodermis.

100 partes Radicis minime partes 8 extracti aetherei praebeant et combustae ne plus quam partes 3 cineris albi relinquant.

Radix Gentianae.

Gentiana lutea L. et *Gentiana Pannonica* Scopoli, plantae perennes, in pratis subalpinis et alpinis Europae mediae spontaneae.

Radix carnosa, plerumque pluriceps et parum ramosa, siccata in segmentis decimetrum et ultra longis, 2—5 centimetra crassis cylindricis, interdum per longitudinem sectis, superne annulis approximatis transversim, caeterum longitudinaliter grosse rugosis, extrorsum subrufo-fuscis, introrsum colore fusco-flavo,

fragilibus fractura aspera, sed humiditate attracta tenacibus et flexibilibus, odoris dulciusculi, caricas siccatas referentis, saporis peramari faucibus diu adhaerentis.

Sectio transversa Radicis, coloris fere aequaliter fusco-flavi, annulo cambiali e nigro-fusco nitente, exhibet lignum centrale parum manifeste radiatim striatum, in quo ope microscopii observabis praeter vasa plus minusve ampla fasciculos vasorum cribrosorum.

Pulvis Radicis fusco-flavus compositus est praesertim e fragmentis parenchymatis e cellulis membrana in aqua tumescente instructis et repletis substantia in aqua fere complete solubili, plerumque relictis crystallis minutissimis calcii oxalici acicularibus et e fragmentis vasorum praesertim amplorum membrana flavida reticulatim incrassata. Amylo pulvis caret.

100 partes Radicis ne minus quam partes 33 extracti aquosi praebeant et combusta ne plus quam partes 5 cineris relinquant.

Radix Graminis.

Rhizoma Graminis.

Triticum repens L., planta rediviva, ad vias, sepes, in agris frequentissima.

Rhizoma longissimum ramosum, siccatum ad 3 millimetra crassum, internodiis 2—4 centimetra longis fistulosis, extus sulcatis, laevibus, nitentibus, coloris straminei, solummodo ad nodos intus clausos radicibus tenuibus et vaginis membranaceis albidis, fimbriatis obsitum.

Sectio transversa internodii exhibet cavum centrale et annulum subcitrinum e fasciculis vasorum continuum,

cinctum strato simplici endodermidis e cellulis valde et inaequaliter incrassatis et extus circumdatum strato corticali albo, amylo carente.

Fodiatur rhizoma saporis subdulcis vere, antequam culmi prodierint et resectis radicibus siccatum servetur. In mercatura vulgari plerumque provenit concisum.

100 eius partes ne minus quam partes 30—35 extracti aquosi praebeant. Eadem quantitas mercis combusta ne plus quam partes 3 cineris grisei relinquat.

Radix Hydrastidis.

Rhizoma Hydrastis.

Hydrastis Canadensis L., planta perennis Americae borealis.

Rhizoma obliquum aut horizontale, siccatum arcuatum, flexuosum, passim subtuberosum, 4—5 centimetra longum, 4—10 millimetra crassum, multiceps-ramosum ramis brevibus sursum cicatrice caulis excavatis, subannulatum, undique emittens radices tenues fragiles eorumque reliquiis in superficie per longitudinem rugosa obscure fusca gibbosum, asperum, rigidum, durum, in fractura subaequali cornea flavum, in sectione transversa circulo e nonnullis ligni fasciculis plerumque cuneiformibus, angustis, remotis, passim vero approximatis obscure fuscis inter corticem crassiusculum et medullam orbicularem.

Saporis est nauseoso-amari, masticando salivam colore flavo tingens.

Sectio transversa radicum exhibet fasciculum vasorum radialem, pericambio et endodermide e cellulis leptodermis uniseriali cinctum. In parenchymate, amylo

in granulis compositis feto utriculi pigmento amorpho flavo, in aqua solubili repleti observantur. Membranae lignosae telae Radicis acido sulfurico colorem viridem vel caeruleum induunt.

In sectione Radicis Hydrastidis humectata gutta acidi nitrici aut sulfurici numerosae crystalli flavae aciculares oriuntur.

Liquor flavus, obtentus maceratione mercis cum aqua frigida (1=100), additis guttis nonnullis solutionis iodi sedimentum crystallinum viride-flavum exhibeat, quod fervefactum colorem nigrum accipiat.

Partes 100 mercis ne minus quam partes 18 extracti spirituosi efficiant. Eadem quantitas mercis combusta ne plus quam partes 6 cineris relinquat.

Radix Ipecacuanhae.

Uragoga Ipecacuanha Baillon, planta perennis in silvis humidis Americae meridionalis, inprimis Brasiliae spontanea.

Radices, e rhizomate tenui nodoso repente ortae siccatae integrae flexuosae, ad extremitates attenuatae, plerumque autem in fragmentis quoad longitudinem inaequalibus, 4—5 millimetra crassis, in superficie annulato-nodosis nodis approximatis et per longitudinem delicate striatis, coloris plerumque griseo-fusci, saepe nigrescenti-fusci, cortice crasso fragili fractura subcornea, facillime separabili a ligno terete tenaci. Odoris est Radix debilis nauseosi, saporis nauseosi, amari, subacris.

In sectione transversa apparet cortex albido-griseus, latitudine aequans aut superans lignum centrale compactum subflavescens, haud manifeste radiatim lineatum, subtilissime porosum.

Pulvis Radicis Ipecacuanhae paretur e cortice reiecto ligno.

Ope microscopii exploratus exhibeat amylum in granulis compositis et simplicibus (3—9, maxime 12—15 micromillimetra) unacum crystallis acicularibus calcii oxalici ubique dispersis, fragmenta parenchymatis corticis e cellulis leptodermis amylo, hinc inde raphidibus calcii oxalici repletis, vasa cribrosa et fragmenta peridermatis fusci. Elementa telae ligni, praesertim vasa angusta punctata et fibrae valde incrassatae ne nisi in fragmentis perpaucis observentur.

100 partes mercis ne minus quam partes 16 extracti spirituosi praebeant; eadem quantitas combusta ne plus quam partes 5 cineris albi relinquat.

100 partes pulveris Ipecacuanhae, tentamini sequenti chemico subiectae, ne minus quam partes duas (2) alcaloidorum propriorum exhibeant.

Grammata 6 Radicis Ipecacuanhae in pulvere (VI) misce in lagena idonea cum grammis 60 aetheris petrolei et sepone, interdum conquassando per 24 horas. Tum filtra et liquore defluxo filtri contentum importa in lagenam et affunde ei grammata 60 aetheris, conquassa miscellam, adde centimetra cubica 5 ammoniae et sepone, saepius conquassando per horam. Tum admisce centimetra cubica 10 aquae, conquassa fortiter, sepone per 5 minuta et separa defluendo grammata 40 liquoris aetherei limpidi in cucurbitam idoneam ponderis noti, in qua ope balnei aquae usque ad siccitatem evaporentur.

Pondus residui, examinando trutina repertum, vicies et quinquies auctum, partes centesimas alcaloidorum Radicis Ipecacuanhae indicat.

Radix Iridis.

Rhizoma Iridis.

Iris Germanica L., *Iris pallida* Lamarck et *Iris Florentina* L., plantae redivivae, in Europa australiore indigenae, imprimis in Italia cultae.

Rhizoma horizontale furcato-ramosum, constricto-articulatum decorticatum et siccatum, odorem violarum spargens occurrit in frustis ex articulis singulis, binis ternisve, rarius pluribus inter se coniunctis, usque ad decimetrum longis, 3—4 centimetra latis tuberosis, plerumque ovatis aut ovalibus, depressis, rarius subcylindricis, latere superiore paulo convexo vestigiis foliorum obsolete annulatis, latere inferiore subplano radicibus resectis minute cicatrisatis, albis aut albidis, ponderosis, duris, in fractura aequali compactis.

Sectio transversa, coloris albi aut albidi exhibet partem corticalem satis angustam et partem centralem amplissimam fasciculis vasorum sparsis, versus lineam endodermidis subtilissimam copiosioribus.

Ope microscopii observabis in parenchymate rhizomatis e cellulis membrana crassiuscula, grosse porosa, scatentibus granis amyli simplicibus, plerumque oblongis, ovalibus aut obovatis, 30—40 micromillimetra longis, in una extremitate saepe truncatis et rima excentrica forcipitiformi notatis, numerosas crystallos longas prismaticas calcii oxalici in utriculis, membrana tenerrima suberina instructis.

100 partes mercis ne plus quam partes 3 cineris relinquant.

Radix Ialapae.

Tubera Ialapae.

Exogonium Purga Bentham, planta perennis in montibus Mexicanis spontanea.

Radices tuberosae subglobosae, piriformes, turbinatae, oblongae vel oblongo-fusiformes nucis Iuglandis usque pugni magnitudine, integrae, incisae vel dissectae, siccatae compactae durae, ponderosae, extrinsecus longitudinaliter rugoso-tuberculatae aut irregulariter reticulato-rugosae, obscure fuscae quasi fumosae, inter rugas nigricantes resinoso-nitentes, plerumque instructae lenticellis transversaliter porrectis coloris dilute fusci, fractura subconchata neque fibrosa neque lignosa.

Sectio transversa, colore ex albido griseo exhibet corticem angustum, annulo resinoso separatum a ligno amplissimo zonis concentricis pullis e cellulis resiniferis, in radicibus validioribus solum in extrema parte his zonis instructa, deinde lineis brevibus arcuatis, punctis et maculis pullis signata submarmorea.

Odoris est Radix Ialapae peculiaris debilis, saporis initio dulciusculi nauseosi, deinde acris faucibus diu haerentis.

Ope microscopii explorata Radix exhibet lignum compositum maxima ex parte e parenchymate, amylo composito grosso, partim vel plerumque calore deformato feto, interruptum stratis subconcentricis telae cambialis. Plurimae cellulae continent crystallos stellatas calcii oxalici et utriculi numerosissimi, membrana suberina tenui instructi, per longitudinem cohaerentes et passim confluentes succum proprium resiniferum. Fasciculi ligni rari, haud validi, radiatim dispositi continent

vasa plus minusve ampla poris densissimis areolatis ornata.

In pulvere Radicis undique reperiuntur guttae emulsae resinae ex utriculis resiniferis, quae addita solutione spirituosa fuchsini colorem purpureum trahunt.

Radix Ialapae, eodem modo tractata ut Resina Ialapae paratur, praebeat e 100 partibus minime partes 10 resinae in aethere parum solubilis.

100 partes Radicis ne plus quam partes 5 cineris relinquant.

Reiicienda tubera mucida, cariosa, aut levia, mollia, intus farinosa, extractione spiritu vini resina partim spoliata aeque ac radices aliarum specierum *Exogonii* aut *Ipomoeae*, ut radix lignosa, in fractura valde fibrosa *Ipomoeae Orizabensis* (Ledanois), sub nomine Radicis Ialapae levis seu fusiformis nota, aut radix tuberosa *Ipomoeae simulantis* (Hanbury), similis quidem Radici Ialapae verae, sed resinam praebens in aethere plane solubilem.

Radix Liquiritiae.

Glycyrrhiza glabra L., planta perennis in Europa australiore et in Asia austro-occidentali indigena, apud nos et in aliis terris passim culta.

Frusta Radicis siccatae et stolonum cylindrica variae longitudinis, usque ad 2 centimetra crassa, ponderosa, tenacia, in fractura grosse et rigide fibrosa, extus e griseo fusca, grosse rugoso-sulcata.

In sectione transversa, coloris obscure flavi et cortex crassiusculus et lignum compactum est grosse radiatim striatum. Frusta stolonum differunt extrinsecus gemmis

et in sectione transversali medulla plerumque pentagona.

In mercatura communi, Radix Liquiritiae occurrit minutim scissa.

100 eius partes ne minus quam partes 30 extracti aquosi efficiant. Eadem quantitas mercis ne plus quam partes 6 cineris relinquat.

Radix Liquiritiae mundata.

Glycyrhiza glabra L. Var. *glandulifera*, planta perennis, in Europa austro-orientali et in Asia occidentali spontanea.

Radix valida fusiformis siccata et cortice exteriore fusco deglupto, interdum unacum stolonibus cylindricis nobis advecta e Russia in segmentis diversae longitudinis, 2—4 centimetra crassis, aequaliter dilute citrinis, in fractura valde fibrosis, in superficie fibroso-scabriusculis, in sectione transversa grosse radiatim striatis, plerumque etiam radiatim fissis, saporis dulcis.

In mercatura ordinaria obvenit scissa.

Pulvis Radicis, solutione kalii hydrooxydati colorem fusco-flavum induens, ope microscopii examinatus exhibet praesertim grana amyli simplicia parva (9—12 micromillimetra); fragmenta parenchymatis corticis lignique e cellulis leptodermis, amylo fetis; fragmenta frequentissima fasciculorum fibrarum libri et ligni angustarum, valde incrassatarum membrana primaria citrina, comitatorum fibris leptodermis loculatis, cellulis singulis in sacculo membranae secundariae crystallum calcii oxalici simplicem includentibus; vasa plus minusve ampla membrana citrina, reticulatim incrassata aut areolato-

punctata, cellulis parenchymatis ligni membrana grosse porosa obtecta. Ubique in pulvere crystalli supra nominatae elapsae e cellulis liberae reperiuntur.

100 partes mercis ne plus quam partes 6 cineris relinquant.

Radix Ononidis.

Ononis spinosa L., suffrutex in arvis et campis obvius.

Radix multiceps subcylindrica, ramosa, siccata quam plurimum 10—15 millimetra crassa, non raro compressa, curvata et torta, saepe per longitudinem rimata et in fibras dissoluta, lignosa, tenacissima, extus e griseo fusca, in sectione transversa exhibens corticem tenuem fuscum et lignum subflavum, radiis medullaribus albis, quoad latitudinem maxime differentibus, eleganter flabellatim notatum. Saporis est subacerbi, subacris cum aliqua dulcedine.

In mercatura occurrit concisa.

100 eius partes ne plus quam partes 5 cineris albi relinquant.

Radix Petroselini.

Carum Petroselinum Bentham et Hooker, planta annua, in hortis frequentissime culta.

Radix fusiformis inter culinaria notissima simplex, alba carnosa, superficie obiter et irregulariter annulata striis latiusculis fusco-aurantiacis, odoris peculiariter aromatici, saporis dulcis subacris.

Vere fodienda et siccata servanda est.

Radix siccata est dura, extrinsecus grosse rugosa et profunde sulcata subflavido-alba, in sectione transversa cortice lato albo, radiatim striato lineis densis rectis aut arcuatis fuscescentibus, ligno centrali in extrema parte citrino tum albo, grosse delineato radiis fasciculorum ligni passim interruptis griseo-subfuscis.

100 partes Radicis recentis, temperatura 100° siccatae, praebent partes 20 substantiae, quae combusta e partibus 100 ne plus quam partes 5 cineris relinquat.

Radix Pyrethri.

Anacyclus Pyrethrum DC., planta mediterranea, in Algeria imprimis spontanea et culta.

Radix plerumque simplex, siccata in frustis fusiformibus, subcylindricis aut obtuse angulatis, 6 ad 12 centimetra longis, 1—3 centimetra crassis, extrinsecus rugosa, fusca. Sectio transversa Radicis durae, resinoso-nitens, exhibet stratum corticale sat latum ex albido fuscescens, pluribus receptaculis balsamiferis atrofuscis praeditum et lignum grosse radiatim notatum fasciculis ligni angustis subflavis et radiis medullaribus latioribus ex albido griseis, itidem receptaculis balsamiferis instructis.

Ope microscopii observabis in extrema corticis parte cellulas sclereïdeas plus minusve incrassatas et in cellulis parenchymatis et corticis et ligni massam amorpham inulini. Amylo Radix ex toto caret.

Radix Pyrethri est inodora; masticata sensationem fere causticam producit, salivam copiose ciens.

100 mercis partes ne plus quam partes 5 cineris fuscescentis relinquant.

Radix Ratanhiae.

Krameria triandra Ruiz et Pavon, planta suffruticosa in Peruvia crescens.

Radices lignosae longae, imo longissimae, quae ex trunco crassiore nodoso multicipite oriuntur, cylindricae, flexuosae, ad 1·5 centimetrum crassae cortice facile separabili extus obscure e fusco rubro, subglabro, subrugoso vel subrimato, in fractura breviter-fibroso, saporis valde adstringentis, subamari.

In sectione transversa lignum compactum ochroleucum vel subrubicundum radiis medullaribus subtilibus densissimis et orificiis vasorum exiguis numerosis ornatum circumdatum est cortice sextuplo tenuiore e fusco rubro, qui solutione ferri sesquichlorati humectatus colorem e nigro viridem trahit.

Ope microscopii examinatum endophloeum eminet praesertim fasciculis fibrarum libri radiatim dispositis et utriculis longis, crystallos calcii oxalici simplices, forma et magnitudine valde differentes et longas prismaticas, et minores, aut pulverem crystallinum includentibus.

Pulvis Radicis Ratanhiae, coloris rubrofusci sistit praesertim fragmenta fasciculorum fibrarum libri et ligni fibris polymorphis, saepe arcuatis aut flexuosis et imprimis extremitates versus tuberculis, plicis et processibus brevibus membranae satis incrassatae instructis, non raro comitata utriculis crystalliferis supra descriptis nec non fragmenta trachearum et tracheidum membrana crassa punctata aut areolato-punctata; fragmenta parenchymatis e cellulis membrana grosse porosa fuscescente aut flavida, amylum et massam amorpham aurantiaco-vel rubro-fuscam gerentibus; fragmenta

suberis e cellulis polygonis leptodermis massa coloris purpurei repletis; ubique in pulvere particulae substantiae amorphae aurantiacae aut fusco-rubrae, nitentis, solutione ferri sesquichlorati colorem olivaceum trahentis, grana amyli composita haud copiosa et crystalli calcii oxalici supra descripti reperiuntur.

100 mercis partes ne minus quam 9 partes extracti aquosi praebeant. Eadem quantitas radicis combusta ne plus quam partes 5 cineris relinquat.

Radix cortice orbata aeque ac radix aliarum *Krameriae* specierum vitanda.

Radix Rhei.

Rheum palmatum L., *Rheum officinale* Baillon et verosimiliter aliae *Rhei* species adhuc non satis cognitae, spontaneae in montibus Chinae boreali-occidentalis.

Radix valida siccata et decorticata. Merx, nobis advecta e China, sistit segmenta cylindrica, subcylindrica, conica, subglobosa aut plano-convexa, non raro forata, extrinsecus pulvere laete flavo conspersa, plerumque dura et ponderosa, in fractura inaequali aspera, albo, aurantiaco, rubro aut fusco-rubro variegata.

Sectio transversa probat sive prope marginem zonam densiorem, radiatim signatam per vices lineis albis et rubris aut aurantiacis et partem mediam medullaeformem amplam, punctis et maculis flavis et rubris variegatam, figuris radiatis parvis in circulum dispositis; sive telam punctis, maculis et lineis multifarie intricatis variegatam, figuris illis radiatis irregulariter ubique sparsis passim confluentibus.

Cellulae parenchymatis continent partim amylum compositum et particulas coloris aurei splendentes, ferro sesquichlorato colorem obscure caeruleum aut olivaceum induentes, in solutione kalii hydrooxydati colore sanguineo solubiles, partim crystallos stellatas frequentissimas calcii oxalici, usque ad 145 micromillimetra grandes. Propterea Radix masticata inter dentes stridet et salivam colore flavo tingit.

Pulvis Radicis Rhei laete flavum, odoris peculiaris, saporis amaricantis et adstringentis, addita solutione kalii hydrooxydati colorem sanguineum accipit.

100 partes Radicis ne minus quam partes 35 extracti dilute-spirituosi aut aquosi praebeant. Eadem quantitas radicis ne plus quam partes 12 cineris relinquat.

Reiicienda est Radix vetusta, cariosa, spongiosa, mučida. Radicem Rhei in Europa cultam, in segmento transverso aut plane usque ad centrum radiis rectis, alternatim rubris et albis instructam, aut solummodo in ambitu radiatim lineatam, ad centrum versus albo- et rubro-punctatam, figuris radiatis orbam adhibere non licet.

Radix Salep.

Tubera Salep.

Species diversae generum *Orchidacearum,* ut *Orchis, Ophrys, Platanthera, Gymnadenia.*

Tubera, aqua fervida tractata, tum siccata, subglobosa, ovalia, ovata aut oblonga, integra aut rarius palmatim partita, 1—3·5 centimetra longa, basi gemma caulinari umbilicata, plerumque plus minusve corrugata,

in superficie irregulariter sulcata, lacunosa et passim reticulato-rugosa, nunc sublaevia, nunc paulum aspera, coloris subfusco-grisei aut albo-flavescentis, margine subpellucida, ponderosa, subcornea, inodora, valde mucilaginosa.

Microscopio explorata Radix Salep excellit utriculis numerosis grandibus, mucilagine raphides calcii oxalici includente repletis in parenchymate amylo calore deformato feto. Addita solutione iodi aquosa diluta contentum in utriculis mucilaginiferis colorem e fusco rubrum, amylum deformatum colorem caeruleum accipit.

Pulvis radicis cum partibus 50 aquae coctus, post refrigerationem mucilaginem satis spissam praebeat, quae adiecta solutione iodi colorem caeruleum trahit.

100 partes mercis ne plus quam partes 3 cineris relinquant.

Cave ne tubera *Colchici autumnalis* intermixta sint, dignoscenda praecipue sulco longitudinali in latere minus convexo aut plano, granulis amyli regulariter compositis et defectu utriculorum mucilaginiferorum.

Radix Sarsaparillae.

Sarsaparilla de Honduras.

Smilacis species non satis nota Americae centralis.

Radices secundariae praelongae, siccatae in macatura sub nomine „Sarsaparilla de Honduras“ obviae, ut plurimum calami scriptorii crassitie, teretes, flexiles, extrinsecus longitudinaliter striato-sulcatae, coloris obscure fusci aut fusco-grisei, saporis paulo mucilaginosi, deinde acris.

In mercatura occurrit Radix scissa aut fissa et scissa in segmentis variae longitudinis.

In sectione transversa annulus fasciculorum vasorum clausus, orificiis amplis vasorum porosus, flavescens aut citrinus, medullam amplam albam includens circumdatus est strato corticali farinoso albo aut subrubello circiter duplo latiore.

Ope microscopii observantur cellulae endodermidis uniserialis in ambitu annuli ligni in sectione transversa forma fere quadrati, parum et fere aequabiliter incrassatae et parenchyma strati corticalis et medullae scatens amylo composito, intermixtis utriculis numerosis, raphides calcii oxalici mucilagine involutas includentibus.

100 mercis partes ne plus quam partes 8 cineris e flavido albi relinquant.

Cave ne emas sub nomine Sarsaparillae de Honduras aliam varietatem mercis Radicis Sarsaparillae, ut illam sub nomine Sarsaparillae de Para aut Brasiliensis, aut eam sub nomine Sarsaparillae de Veracruz notam, dignoscendas praesertim forma cellularum endodermidis in sectione transversali haud quadrata sed obsolete quadrangula, radialiter leviter porrecta et membrana earum in parte interiore in illa paulo, in hac valde incrassata.

Radix Sassafras.

Lignum Sassafras.

Sassafras officinalis Nees, arbor Americae borealis.

Radix valida ramosa lignosa siccata obvenit in mercatura in segmentis cylindricis, cortice crassiusculo molli, extus suberoso, rimoso cinereo-aut fusco-rubro, intus e rubro fusco, ligno molli levi, subspongioso, sub-

fuscescente aut pallide rubente, in segmento transverso, praesertim ad initium annuli cuiusque anni concentrici manifeste poroso, radiis medullaribus subtilissimis approximatis exarato.

Saepius occurrit minutim scissa aut in frustulis cuboïdeis.

In parenchymate, amylo composito feto, imprimis in eo radiorum medullarium et corticis et ligni, ope microscopii observantur utriculi ampli, oleo aethereo repleti.

Est Radix odoris grati foeniculacei, saporis dulciusculi. 100 eius partes ne plus quam partem 1 cineris relinquant.

Lignum trunci, aromate fere omnino carens, reiiciendum est.

Radix Senegae.

Polygala Senega L., planta perennis Americae borealis.

Radix siccata ad decimetrum longa, sub basi multicipite tuberculoso-nodosa, saepe residuis caulinis praedita raro ultra 8 millimetra crassa, simplex aut subramosa, apicem versus sensim attenuata, plerumque arcuata, falcata aut tortuosa, in interiore curvaturae latere carina corticali plus minusve arguta notata, in latere opposito rugosa, callosa, torosa, extus coloris flavidi aut griseo-fuscescentis, odoris peculiaris, saporis acris.

Sectio transversa Radicis, solutione kalii hydrooxydati humectata colorem flavum trahens, exhibet corticem sat latum et lignum centrale, radiis medullaribus

subtilibus notatum, in latere carinae corticali opposito plerumque truncatum aut excisum.

Ope microscopii observabis in endophloeo radios medullares pluriseriales et radios libri, qui ut radii ligni magna ex parte compositi sunt e cellulis fusiformibus subprosenchymaticis, membrana poris rimaeformibus instructa aut spiraliter aut reticulatim incrassata. Lignum exhibet tracheas articulis generaliter brevibus fusiformibus, membrana areolato-punctata. Cellulae parenchymatis et corticis et ligni repletae sunt massa amorpha flavescente, solubili pro parte in spiritu vini, magna ex parte in aqua relictis guttis decoloribus oleosis, in aethere solubilibus; solutione kalii hydrooxydati massa colore belle flavo solvitur. Amylo Radix caret.

Infusum Radicis aquosum, frigide paratum exhibeat liquorem limpidum coloris aurei, qui addito ferro sesquichlorato soluto violaceus evadat; conquassatum spumam copiosam producit.

100 partes mercis ne plus quam partes 5 cineris relinquant.

Radix Taraxaci.

Taraxacum officinale vide: Folia Taraxaci.

Radix multiceps cylindrico-fusiformis carnosa, succo lacteo scatens, siccata rigida fractura aequali, plerumque 1—2 centimetra crassa, extus fusca, longitudinaliter grosse rugosa.

In sectione transversa apparet lignum centrale citrinum, orificiis vasorum porosum neque radiatum, cortice lato albo, lineis fuscis concentricis tenerrimis confertis ornato circumdatum.

Cortex Radicis abundat vasis lactiferis articulatis retiformibus, inde lineae fuscae concentricae supra descriptae in sectione transversali. Cellulae parenchymatis inulino repletae sunt.

100 Radicis partes ne minus quam partes 40 extracti aquosi exhibeant; eadem quantitas Radicis combusta ne plus quam partes 8 cineris relinquat.

Fodiatur Radix inodora, saporis amari, sero autumno et bene siccata servetur.

In mercatura obvenit plerumque scissa.

Radix Valerianae.

Valeriana officinalis L., planta rediviva indigena, in silvis, nemoribus, ad sepes frequens.

Rhizoma siccatum obovatum, interdum stoloniferum, ad 4 centimetra longum, 2—3 centimetra crassum, extrinsecus subannulatum et undique obsitum radicibus copiosissimis longis, ad 2 millimetra crassis teretibus, longitudinaliter striatis, fragilibus, coloris fusci.

Odoris est peculiaris fragrantis ingrati, saporis subdulcescenti-amaricantis, aromatici.

In sectione transversa rhizomatis centrum medullare amplissimum cinctum est circulo angusto fasciculorum ligni inaequalium et hicce strato corticali tenui plerumque fusco, subresinoso nitente. Sectio transversa radicum exhibet lignum centrale tenue, circumdatum cortice lato.

Ope microscopii observabis praesertim: sub epidermide radicum, pilis instructa stratum uniseriale e cellulis membrana suberina praeditis, oleo aethereo repletis

saepe unacum crytallulis prismaticis decoloribus et mesophloeum validum e cellulis parenchymaticis facile secedentibus, amylo in granis simplicibus et compositis fetis, endodermide determinatum e cellulis amylo carentibus, membrana suberina instructis.

100 partes Radicis Valerianae ne minus quam partes 15 extracti spirituosi praebeant; eadem quantitas mercis combusta ne plus quam partes 10 cineris relinquat.

Fodiatur Radix Valerianae vere in locis montanis siccis; liberata a vestigiis caulium foliorumque radicalium et bene siccata in vasis optime clausis servanda est.

Radix Zedoariae.

Rhizoma Zedoariae.

Curcuma Zedoaria Roscoe, planta perennis, in Asia tropica indigena.

Cormus ovalis aut piriformis annulatus, per transversum, interdum per longitudinem sectus et siccatus.

Occurrit plerumque in frustis disciformibus orbiculatis ad 4 centimetra latis, 5—10 millimetra crassis, coloris generaliter e griseo subfusci aut subrubescenti-grisei, extrinsecus peridermate ochroleuco-fuscescente singulisque radicum fragmentis praeditis, crassioribus residuis foliorum annulatis, duris, in fractura aequali solidis, odoris aromatici subcamphoracei, saporis condimentarii, subamari.

Sectio transversa albido-grisea, numerosis punctata cellulis oleïferis et fasciculis vasorum disiectis stratum

angustum periphericum probat, a parte centrali ampla linea endodermidis albida separatum.

Structura Radicis Zedoariae similis illi Zingiberis. Grana amyli discoïdea ovalia, ovata aut oblonga ad 60 rarius usque ad 75 micromillimetra longa.

100 partes mercis ne plus quam partes 7 cineris relinquant.

Radix Zingiberis.

Zingiber officinale Roscoe, planta perennis, in Asia tropica indigena, ibidem atque in aliis terris tropicis culta.

Rhizoma tuberoso-ramosum a latere compressum, superficialiter remote annulatum radicibus orbatum, partim decorticatum concisum et siccatum.

Merx sistit frusta circiter 2 centimetra lata et 8 — 10 millimetra crassa, plerumque subpalmatim ramosa ramis brevibus obtusis, paulo productis et prorsum arcuatis, in lateribus planiusculis partim decorticata coloris plumbei, ceterum peridermate flavido-griseo grosse rugoso obtecta, tenacia, satis compacta, fractura paulo fibrosa, odoris specialis aromatici, saporis acri-condimentarii.

In sectione transversa, coloris albidi vel albido-grisei tela corticalis aeque ac pars centralis intra lineam endodermidis tenerrimam punctis copiosissimis fuscis aut citrinis signata est.

Ope microscopii explorata Radix eminet parenchymate e cellulis polyedris leptodermis, scatentibus amylo in granis simplicibus discoïdeis, ovato-oblongis aut ovato-cuneatis, saepe ad finem in apiculum breve protractis, stratis excentricis tenerrimis et densissimis ornatis,

ad 32 rarius ad 45 micromillimetra longis; permultis utriculis oleo aethereo aut massa resinosa citrina vel fusca repletis et fasciculis vasorum collateralibus vasis amplis scalaribus et scalari-reticulatis, comitatis cellulis pigmento flavo-aut rubro-fusco fetis et fibris libri sat incrassatis, saepius septatis.

100 partes mercis ne plus quam partes 5 cineris relinquant.

Resina Benzoë.

Generis *Styracis* species arborea, regnum Siamense inhabitans, non satis nota.

Succus resinosus sponte vel facta arboris vulneratione profunda effluens, aëre induratus.

Merx sistit plerumque grana plana aut subplana rotundato-angulata, quoad magnitudinem inaequalia, sed plerumque ampliora, usque ad nonnulla centimetra lata resinae solidae, extrinsecus coloris e flavido vel e rubro fusci, fragilis, in fractura recente conchata lacteae, pinguiter aut cerae instar nitentis, pulverem e flavido album praebentis. Masticata Resina, fere saporis expers, dentibus adhaeret.

Calefacta in balneo aquae Resina odorem gratissimum vanillaceum spargit; magis calefacta in tubulo probatorio vapores pungentes emittit, qui in parte superiore tubuli crystallos aciculares longas acidi benzoici deponunt. In spiritu vini ex toto vel fere ex toto solvitur. Solutio filtrata limpida flavescens, addita aqua liquorem turbidum, lacteum reactionis acidae efficit.

Quantitas exigua pulveris Resinae, cum solutione kalii hypermanganici (2 = 100) calefacta ne spargat, et

per longius tempus seposita, odorem olei aetherei amygdalarum amararum.

100 Resinae partes, spiritu vini ebulliente perfecte extractae, ne plus quam partes 10 residui relinquant. Eadem quantitas mercis combusta ne plus quam partes 2 cineris exhibeat.

Resina Colophonium.

Pini species, imprimis *Pinus Laricio* Poiret et *Pinus silvestris* L., arbores indigenae notissimae.

Resina oleo Terebinthinae liberata. Massa dura fragilis et friabilis fractura laticonchata, splendore fere vitreo, colore vulgo flavo-fusco, limpida, pellucida, amorpha, odoris et saporis fere expers.

In balneo aquae Colophonium liquorem tenacem limpidum efficit, qui magis fervefactus vapores graves albos odoris balsamici haud grati emittit.

In pondere aequali et spiritus vini et acidi acetici lente solvitur nec non in natrio hydrooxydato soluto.

Resina Dammar.

Generis *Shoreae*, *Hopeae* et aliorum generum Dipterocarpacearum species non satis notae, arbores Indiae orientalis.

Grana rotundata, oblonga et piriformia aut massae deformes variae magnitudinis, coloris subcitrini, pellucidae, fragiles, in fractura conchata vitri instar nitentes, facile in pulverem album, odoris fere expertem conterendae, sub digitis paulo glutinosae, in chloroformio et carboneo sulfurato copiose, minus

in spiritu vini et in aethere solubiles solutionibus admodum glutinantibus.

Pars 1 Resinae pulveratae, cum partibus 10 ammoniae saepius agitando per horam dimidiam seposita, filtrando liquorem limpidum aut paulo opalescentem praebeat, qui acido acetico supersaturatus ne turbetur.

Combusta Resina Dammar ne nisi vestigia cineris relinquat.

Resina elastica depurata.

Gummi elasticum depuratum.

Hevea Brasiliensis Müller Argov. et *Hevea Guyanensis* Aublet, arbores Americae meridionalis tropicae.

Succus lacteus coagulatus et siccatus. Adhibeatur solum Resina elastica depurata in officinis prostans in tabulis circiter 0·5 millimetri crassis, pellucidis, pinguiter subnitentibus (Resina elastica in lamellis).

Earum massa est coloris aequaliter rubro-fusci, temperatura ordinaria tenax, extensibilis et elastica, insolubilis in aqua, spiritu vini, acidis dilutis et in kalio aut natrio hydrooxydato soluto. Cum aethere, benzolo, chloroformio, imprimis cum oleo aethereo Sassafras nec non cum oleo resinae empyreumatico liquorem praebet badium aut obscure fuscum.

Resina Elemi.

Resina obtenta ex arbore in insulis Philippinis non satis explorata, quae verosimiliter *Canarium commune* L. est.

Occurrit in massis mollibus fracidis glutinosis impellucidis crystallino-granulosis albidis vel subviridi-citrinis, odoris fragrantis foeniculacei, saporis balsamici amariusculi.

Sit in chloroformio temperatura ordinaria, in spiritu vini, aethere, benzolo ope caloris plane solubilis.

Cum spiritu vini temperatura ordinaria tractatum Elemi resinae amorphae circiter partes 62 et amyrini in crystallis partes 20 e partibus 100 praebeat.

Combusta Resina Elemi ne nisi vestigia cineris relinquat.

Resina Guaiaci.

Guaiacum officinale, vide: *Lignum Guaiaci.*

Succus resinosus, ex arbore sponte vel arte vulnerata manans aëre induratus aut decoquendo vel eliquescendo duraminis obtentus, occurrit modo in granis globosis subglobosisque variae magnitudinis, modo in massis deformibus nigro-viridibus subbadiisve, extus pulvere subviridi conspersis, duris, fragilibus fractura vitreo nitore, in particulis minutissimis pellucidis; in balneo aquae liquescens. Saporis est subacris amaricantis, odoris peculiaris debilis, sub calore magis emergentis subbenzoïci.

Resina in pulverem redacta albescit, substantiis oxydantibus viridescit aut caerulescit. Solvitur in spiritu vini, aethere, chloroformio, kalio et natrio hydrooxydato soluto.

Solutio spirituosa addita gutta ferri sesquichlorati soluti colorem pulchre caeruleum accipit; mox color olivaceus evadit.

Solutio spirituosa ($1 = 25$) ne colorem caeruleum trahat calefaciendo cum aequali volumine olei Terebinthinae crudi.

100 partes Resinae ne plus quam partem 1 cineris relinquant.

Resina Ialapae.

Rp: **Radicis Ialapae** (IV)	*partem*	1
Spiritus Vini	*partes*	4.

Digere saepius agitando per biduum, tum exprime et remanentiam denuo digere cum

Spiritus Vini	*partibus*	2.

Liquores commixtos et filtratos ingere in retortam et addita aequali quantitate aquae in balneo aquae destillando libera a spiritu vini.

Resinam secretam separa et elue aqua fervida tamdiu, donec aqua decolor evadat. Tum exsicca optime in balneo aquae.

Massa resinosa fragilis, fracturae splendentis, friabilis, coloris fusci, margine diaphana, odoris debilis peculiaris; solvatur facile in spiritu vini, parum in aethere, haud in carboneo sulfurato. Ne colorentur partes 5 aquae calefactae cum parte 1 Resinae Ialapae.

In lagena apta per longius tempus calefacta cum partibus 5 ammoniae Resina solutionem praebeat, quae refrigerata nec in gelatinam abeat, nec supersaturata acido acetico evidenter turbetur. Ne solvat chloroformium plus Resinae Ialapae quam partes centesimas 10.

Resina Mastix.

Pistacia Lentiscus L., arbor in insula Chios culta.

Succus resinosus e truncis vulneratis effluens aëre induratus, sistit grana plerumque globosa et subglobosa,

piperis vel pisi magnitudine, clara, pellucida, coloris subcitrini, in fractura conchata vitri instar splendentia, friabilia, in merce non satis recente superficie pulverulenta, odoris et saporis debilis balsamici, masticata massam albam, dentibus adhaerentem praebentia.

Resina Mastix in spiritu vini temperatura ordinaria pro maxima parte, ope caloris et in aethere penitus solvitur.

100 partes eius ne plus quam partem 1 cineris relinquant.

Resina Podophylli.

Podophyllinum.

Podophyllum peltatum Willdenow, planta perennis, indigena in America boreali.

Praeparatum in officinis chemicis via praecipitationis extracti alcoholici radicis Podophylli cum aqua, acido hydrochlorico acidulata obtentum.

Pulvis amorphus coloris subcitrini, e viridi flavi aut ex aurantiaco fusci, calefactus colorem obscuriorem recipiens, odoris peculiaris ingrati, saporis amari.

Cum aqua frigida conquassatus filtrando liquorem praebet fere decolorem aut paulum flavescentem reactionis acidulae, saporis amari, qui adiecto ferro sesquichlorato soluto colorem olivaceum trahit.

Resina Podophylli ex toto solvitur in spiritu vini; liquor inde ortus, coloris e flavo vel e rubro fusci, addito ferro sesquichlorato soluto colorem obscure viridem aut olivaceum induit.

E solutione alcoholica Resina cum aqua copiose praecipitatur. Liquor inde enatus turbidus, lacteus, cum

aqua in extremum dilutus, colore e caeruleo subviridi fluorescit.

In ammonia Resina Podophylli ex toto solvitur colore flavo vel aurantiaco; e liquore inde orto Resina cum acidis praecipitatur.

Solutio Resinae alcoholica, additis guttis nonnullis ammoniae cum plumbo acetico basico soluto sedimentum copiosissimum coloris aurantiaci demittit.

In aethere et in chloroformio Resina Podophylli nonnisi ex parte solvitur. Combusta ne plus quam partem 1 cineris ex partibus 100 relinquat.

Resina Sandaraca.

Callitris quadrivalvis Ventenant, arbor Africae boreali-occidentalis.

Succus resinosus, e cortice trunci ramorumque sponte effluens aëre induratus sistit maxima ex parte frustula elongata cauliformia, cylindrica et subcylindrica, rarius subglobosa et piriformia coloris albido-citrini, pellucida, in fractura conchata vitri instar splendentia, superficie laevia aut paulum pulverulenta, friabilia, pulverem album praebentia, odoris balsamici subterebinthacei, saporis debilis aromatici, amariusculi, masticata in pulverem dilabentia.

Resina temperatura circiter 135° liquescit; solvitur facile et ex toto in spiritu vini et in aethere nec non in oleo Lini fervido, per partem in chloroformio, carboneo sulfurato et in oleo Terebinthinae.

Resina Sandaraca ne nisi vestigia cineris relinquat.

Resorcinum.

Crystalli decolores odoris fere expertes, saporis subdulcis asperi; temperatura 110°—111° liquescunt, fervefactae plane avolant. In aqua nec non in spiritu vini, in aethere et glycerino facile, in chloroformio et carboneo sulfurato difficile solvuntur.

Solutio aquosa Resorcini, addito plumbo acetico basico soluto aut bromo in aqua soluto sedimentum album demittit, ferro sesquichlorato soluto addito colorem violaceum induit.

Centigrammata 5 Resorcini, cum decigrammate acidi tartarici et cum guttis 10 acidi sulfurici concentrati caute calefacta, liquorem praebent coloris coccinei.

Solutio aquosa Resorcini sit decolor, chartam exploratoriam vix mutet et calefacta phenolum ne redoleat.

Servetur a luce remotum.

Roob Iuniperi.

Rp: **Fructuum Iuniperi recentium maturorum et contusorum** *partes* 100
Aquae *partes* 400.

Macera per 24 horas, tum exprime et remanentiam superinfunde cum

Aquae fervidae *partibus* 200.

Sepone per 3 horas et remanentiam iterum exprime.

Liquores commixtos sepone, cola et in balneo aquae ad consistentiam mellis evapora.

Ad finem evaporationis adde

Sacchari in pulvere *partes* 10.

Massa turbida, consistentiae mellis, coloris fusci,

saporis dulcis et iuniperini nec empyreumatici, in aqua turbide solubilis.

Quodsi eius grammata 2 comburantur, cinis obtentus cum acidi hydrochlorici diluti centimetris cubicis 5 calefactus liquorem praebeat, qui filtratus adiecta aqua hydrosulfurata ne mutetur.

Roob Sambuci.

Rp: **Fructuum Sambuci maturorum recentium** *partes* 100.

Contusos calefac in balneo aquae per horam agitando pistillo ligneo; tum exprime, succum sepone, cola et in patina porcellanea ope balnei aquae evapora ad extracti spissi consistentiam. Sub finem evaporationis admisce

Sacchari in pulvere *partes* 5.

Roob Sambuci sit coloris e violaceo rubri, vix fuscescentis, saporis aciduli et dulcis, odoris peculiaris; solvatur in aqua fere limpide.

Praesentiam metallorum examines ut in roob Iuniperi praescriptum.

Saccharinum.

Pulvis crystallinus albus, odoris expers, saporis dulcissimi. Solvitur in partibus circiter 400 aquae frigidae, in 24—30 aquae fervidae, in 25 spiritus vini, difficilius in aethere.

Solutio Saccharini ope kalii hydrooxydati soluti abundantis parata et ad siccum evaporata massam praebet, quae per nonnulla minuta ad circiter 250° calefacta, post refrigerationem in aqua soluta et acido hydro-

chlorico leniter acidulata, addito ferro sesquichlorato soluto colorem violaceum induit.

Solutio e decigrammis 5 Saccharini et centimetris cubicis 80 aquae fervidae parata, per 12 horas in loco frigido seposita crystallos tabulaeformes demittit, quae temperatura 219°—220° liquescunt.

Saccharinum in acido sulfurico concentrato solutum liquorem coloris expertem praebeat, qui calori balnei aquae expositus colorem fuscum ne induat.

Ignitum sine residuo comburat.

Saccharum.

Frusta crystallina compacta, sicca, albissima, in aëre immutabilia, vel pulvis crystallinus albissimus.

Saccharum cum pondere dimidio aquae sine ullo residuo solutum syrupum efficiat coloris et odoris expertem, qui omni proportione cum spiritu vini mixtus liquorem limpidum praebeat.

Solutio Sacchari sive aquosa sive spirituosa chartam exploratoriam ne mutet, aquosa aqua hydrosulfurata ne mutetur, ammonio oxalico, baryo nitrico, argento nitrico aut natrio sulfurico ad summum opalescat.

Saccharum Lactis.

Saccharum Lactis, e sero lactis vaccini paratum, prostat in tabulis aut crustis crystallinis, plerumque in baculis cylindricis apice conicis, ad 6 centimetra crassis, duris, e crystallis compositis grossis, prismaticis, albidis, subpellucidis, inter dentes stridentibus, radiatim aggre-

gatis et coalitis aut sub forma pulveris subtilissimi albissimi, odoris expertis, subdulcis, qui solvitur lente in aqua frigida, facillime in aqua fervida, nec in aethere, nec in chloroformio.

Solutio aquosa (1 = 10) sit decolor. Centimetra cubica 5 huius solutionis cum centigrammis 5 resorcini et centimetro cubico dimidio acidi hydrochlorici per 5 minuta cocta mixturam praebeant, quae colorem flavum ne vero rubrum exhibeat.

Decigrammata 3 Sacchari Lactis combusta ne relinquant nisi vestigia cineris.

Saccharum Lactis odoris rancidi, caseosi et coloris flavidi reiiciatur.

Santoninum.

Crystalli tabulaeformes vel lamellae squamosae, decolores, saporis amari, lucis influxu flavescentes; calefactae temperatura 170° liquescunt et tum partim sublimant, partim decomponuntur.

Santoninum in aqua frigida nonnisi parum, fervida difficile solvitur. Spiritus vini frigidi partes circiter 43, aetheris partes 150, chloroformii partes 4 Santonini partem 1 solvunt.

Solutio spirituosa addito kalio hydrooxydato soluto colore coccineo sensim transeunte tingitur.

Cum alcalibus aut calcaria Santoninum coniunctiones in aqua facile solubiles init.

Cum acido sulfurico sive nitrico concentrato humectatum Santoninum colorem ne trahat.

Santoninum in 100 partibus aquae et 5 partibus acidi sulfurici diluti coctum et refrigeratum filtratum

praebeat saporis non amari, quod kalio chromico addito ne turbetur.

Decigrammata 2 Santonini ignita residuum ponderabile ne relinquant.

Sapo kalinus.

Rp: **Olei Lini** *partes* 40
Kalii hydrooxydati soluti *partes* 24
Aquae *partes* 30
Spiritus Vini *partes* 6.

Fervefac agitando in balneo aquae usque ad perfectam saponificationem.

Sit massa unguinosa, lubrica, semipellucida, coloris e flavido fusci, odoris ingrati saponacei, in aqua nec non in spiritu vini solubilis.

Grammata 10 Saponis kalini soluta in centimetris cubicis 30 spiritus vini, additis guttis nonnullis solutionis phenolphtaleini ne consumant plus quam centimetra cubica 10 acidi hydrochlorici decinormalis, ut evadant neutra.

Sapo medicinalis.

Rp: **Natrii hydrooxydati soluti** *partes* 130.

Fervefac addendo sensim sensimque

Axungiae Porci liquatae *partes* 100.

Calefac miscellam sub continua agitatione usque ad saponificationem; tum adde

Spiritus Vini *partes* 12

et massae aequabiliter enatae admisce sensim sensimque

Aquae	*partes*	130

calefaciendo tamdiu, usque gelatina, saponificatione enata, in aqua calida, quin pinguedinem separet solvitur.

Tum adde solutionem filtratam e

Natrii chlorati	*partibus*	40
Natrii carbonici	*partibus*	5
Aquae	*partibus*	120

et fervefac usque ad perfectam saponis seiunctionem. Saponem refrigeratum, a liquore separatum et pauxillo aquae elotum exprime fortiter, scinde in frusta et exsicca.

Sapo medicinalis sit durus, albus, plane solubilis in aqua nec non in spiritu vini. Ne sit odoris rancidi.

Solutio parata leni calore e grammate 1 Saponis medicinalis in centimetris cubicis 5 spiritus vini, post refrigerationem neque rubefiat addita solutione phenolphtaleini, neque mutetur adiecta aqua hydrosulfurata.

Sebum ovile.

Pinguedo abdominalis ovis solida depurata.

Sit Sebum recens, albissimum, odoris debilis peculiaris, haud rancidi, temperatura 47°—50° limpide liquescens.

Pars 1 Sebi ovilis cum partibus 5 spiritus vini calefacta et conquassata refrigerando liquorum limpidum praebet, qui decantatus, addita aequali quantitate aquae nec valde turbetur, nec chartam exploratoriam caeruleam rubefaciat.

Numerus saponificationis sit 193—195, numerus iodi 35—40.

Sebum salicylatum.

Rp: **Sebi ovilis**	*partes*	98
Resinae Benzoë	*partes*	10.

Digere in balneo aquae per horam, tum cola et in colatura solve

Acidi salicylici	*partes*	2.

Massam liquatam effunde in formas bacillorum aut tabularum.

Sit Sebum salicylatum paulum flavescens, resinam Benzoë redolens, haud rancidum.

Semen Amygdali amarum.

Amygdalae amarae.

Prunus Amygdalus Stokes, Var. amara, arbor in regione mediterranea spontanea, hinc et apud nos passim culta.

Semina saepe nonnihil minora caeterum omni ex parte Amygdalis dulcibus quoad formam similia, sed saporis sunt peramari et aqua trita odorem spargunt proprium aethereum.

Semen Amygdali dulce.

Amygdalae dulces.

Prunus Amygdalus Stokes, Var. dulcis, arbor in regione mediterranea spontanea, hinc et apud nos passim culta.

Semina exalbuminosa ovata, acutiuscula, compressa, ad 2·5 centimetra longa, sub apice hilo superficiali, basi rotundata chalaza ampla orbiculari instructa, integumento membranaceo cinnamomeo, longitudinaliter

nervoso, sulcato-striato, pulverulento-scabriusculo propter cellulas magnas sclereideas facile secedentes strati extremi, embryone cotyledonibus 2 magnis planoconvexis, albis, oleoso-carnosis, facile separabilibus. Sunt saporis, oleoso-subdulcis.

Aqua trita emulsionem albam inodoram praebent.

Ne sint Semina rancida, vetusta neque contineat merx semina Amygdali amara.

Semen Colae.

Colae species, arbores Africae tropicae occidentalis, imprimis: *Cola acuminata* R. Brown et *Cola vera* Schum.

Semina testa liberata exalbuminosa siccata ovalia, ovata, oblonga aut rotundato-polygona.

Merx sistit plerumque nucleos seminum dilapsos in cotylas geminas, rarius ternas aut quaternas aut nucleos integros.

Cotylae maximae, compactae, durae, coloris extus obscure vel e griseo rubro-fusci, intus cinnamomei sunt inaequales, in genere forma ovali, obovata aut suborbiculari et oblongo-quadrangula, 2·5—4 centimetra longae, 1·5—3 centimetra latae, facie externa convexa, facie interna concava aut subplana et hinc in parte inferiore plumula et radicula oblongo-fusiformi vel scrobiculo oblongo instructae.

Pulvis Seminis Colae, coloris fusco-rubri aut cinnamomei, odoris fere expers, saporis subadstringentis amariusculi, ope microscopii exploratus sistit grana amyli simplicia plerumque ovata et oblonga aut subreniformia, usque ad 21—24 rarius 30 micromillimetra longa, singula rima et stratis excentricis ornata et frag-

menta parenchymatis e cellulis polyedris amylo fetis, membrana fusco-flava punctata instructis. Rarius observantur in pulvere fragmenta epidermidis cotyledonum e cellulis parvis polygonis, fragmenta fasciculorum vasorum vasis spiralibus angustissimis nec non pili unicellulares cuneati, acuminati, saepe irregulariter curvati et arcuati, singuli aut stellati, membrana sat incrassata et passim pili capitati pluricellulares plerumque clavati.

Partes 100 pulveris ne plus quam partes 3 cineris relinquant. Eadem quantitas pulveris grossi ne minus quam partes 10 extracti spirituosi praebeat.

Quodsi pauxillum pulveris in patinula vitrea, tecta tabula vitrea caute calefeceris, in inferiore latere tabulae sublimando crystalli copiosae aciculares, saepe in figuris plumosis aut prismaticae coffeïni adpareant.

Partes 100 pulveris examini subsequenti chemico subiectae ne minus quam partem unam et semis (1·5) coffeïni exhibeant.

Grammata 6 pulveris extrahe conquassando in lagena idonea cum grammis 60 chloroformii admixtis centimetris cubicis 6 ammoniae. Sepone per horas 12; tum filtra. Grammata 50 liquoris filtrati destillando libera a chloroformio; residuum solve in centimetris cubicis 3 alcoholis absoluti; evapora solutionem et residuum solve in miscella e centimetris cubicis 3 spiritus vini et centimetris cubicis 7 aquae. Admixtis centimetris cubicis 20 aquae filtra liquorem per filtrum aqua humectatum in patinam vitream parvam ponderis noti; filtratum evapora plane; residuum crystallinum album sicca in apparatu exsiccatorio et trutina examina.

Eius pondus sit minime centigrammatum 7·5 respondens parti centesimae 1·5 coffeïni.

Semen Colchici.

Colchicum autumnale L., planta rediviva tuberosa, prata humida ubique apud nos inhabitans.

Semina albuminosa perfecte matura, siccata subglobosa, 2—3 millimetra in diametro, basi strophiola subacuminata, dura, testa tenui extus opaca rubro-fusca, delicatissime foveolato-punctata aut minute rugosa. Embryo parvus rectus continetur fere exadversus strophiolam in parte periferica albuminis solidi cornei, griseo-albidi.

Semina sunt saporis peramari et acris; ne ultra annum servanda.

100 partes mercis ne minus quam partes 10 extracti spirituosi praebeant. Eadem quantitas mercis combusta ne plus quam partes 8 cineris fuscescentis relinquat.

Semen Foeni graeci.

Trigonella foenum Graecum L., planta annua, in regione mediterranea nec non in Asia occidentali et meridionali indigena, in nonnullis terris culta.

Semina matura siccata durissima, quoad formam inaequalia, sed plerumque subrhombeo-tetragona, compressiuscula, 3—4 millimetra longa, 2·5—3 millimetra lata et crassa, utrinque truncata. Sulcus, ex hilo marginali depresso ortus superficiem seminis exarat in duas partes inaequales, quarum minor radiculam, maior cotyledones planoconvexas embryonis uncinato-curvati ochroleuci sub testa flavo-fusca aut brunea, glabra, punctato-granulata continet.

In aqua macerata Semina valde turgescunt. Odor eorum est fragrans, graviter melilotinus, sapor mucilaginosus et amarus. In officinis prostant in pulverem redacta.

Pulvis, coloris e fusco lutei, microscopio examinatus sistit praesertim fragmenta parenchymatis embryonalis, in specie cotyledonum e cellulis polyedris membrana tenuissima, in plasmate oleoso granulis amyli nec non aleuri impletis, cellulas endospermii decolores, in aqua valde tumescentes et mucilaginem emittentes nec non fragmenta testae seminis e cellulis epidermidis prismaticis, inaequaliter incrassatis et e cellulis hypodermatis turbinatis aut cyathiformibus.

Merx ne relinquat e partibus 100 plus quam partes 3 cincris.

Semen Lini.

Linum usitatissimum L., planta annua, apud nos frequenter culta notissima.

Semina ovata, compressa, margine attenuata, 4 ad 5 millimetra longa, a latere apicis obtusi subobliqui hilo leniter impressa, testa laevissima, nitida, fusca, tenui, rigida, epidermide mucilaginoso instructa, inde in aqua emollita lubrica, nucleo albido vel subviridi, amylo carente, saporis mitis oleosi, haud rancidi.

Ad parandum decoctum Semina integra adhibeantur.

Quotannis renovanda.

100 partes mercis ne plus quam partes 5 cineris relinquant.

Semen Myristicae.

Myristica fragrans vide: Arillus Myristicae.

Nuclei seminis forma ovali aut subglobosa, 2—3 centimetra in diametro, ponderosi, extus reticulato-

rugosi, subfusci, plerumque pulvere albo adspersi, basi hilo, apice chalaza et in parte paullo minus convexa raphe sulcata instructi, albumine oleoso-farinoso, griseo-albo plicis membranae integumenti internae obscure fulvis ruminato, basi embryonem continente; odoris et saporis eximie aromatici.

Pulvis griseo-albus, ope microscopii exploratus exhibet praeprimis fragmenta parenchymatis endospermii e cellulis leptodermis polyedris decoloribus, grana amyli in plasmate oleoso et grana aleuri, saepe solitarium amplum crystalloideum includentibus, ubique grana amyli regulariter composita, particulas substantiae pinguis partim in crystallis acicularibus radiatim aggregatis, particulas pigmenti flavi aut rubro- fusci et cellulas hoc pigmento instructas nec non fragmenta perispermii, integumentum nuclei formantis, e cellulis polyedris fuscis pro parte oleo aethereo repletis.

100 partes mercis ne plus quam partes 3 cineris albi relinquant.

Nuclei mucidi, leves, ab insectis corrosi, nec non oblongi, saporis et odoris debilioris *Myristicae argenteae* (Warb.) progenies, reiiciantur.

Semen Quercus.

Quercus pedunculata et *Quercus sessiliflora,* vide: *Cortex Quercus.*

Semina exalbuminosa matura siccata constant e cotyledonibus duobus, saepe iam separatis, oblongis vel ovato-oblongis, 2—2·5 centimetra longis, crassis, duris, rigidis, pallide subfuscis, in dorso convexo

longitudinaliter sulcatis, in parte suprema superficiei internae planae aut subconcavae parva radicula vel scrobiculo oblongo instructis, intus albidis vel ochroleucis, saporis subdulcis, subamari et adstringentis.

Immatura, insectis corrosa vel vetustate corrupta reiiciantur.

Semina in vase ferreo sub continua agitatione tamdiu torrefacta, donec colorem fuscum induerint et facile frangantur praebent **Semen Quercus tostum.** Refrigerata in pulverem grossiusculum contunde et serva.

Ope microscopii examinatus pulvis, odoris empyreumatici, ne contineat nisi elementa telae seminis Quercus propria scilicet: maxima ex parte grana amyli deformata et conglobata, nec non grana amyli integra simplicia oblonga, ovata, ovalia et subreniformia, rima longitudinali instructa; fragmenta parenchymatis cotyledonum e cellulis polyedris, repletis amylo sub forma et in statu descripto nec non fragmenta rara fasciculorum vasorum angustissima. Cellulae sclerenchymaticae non observantur in pulvere nisi passim singulae, parvae.

100 partes pulveris ne minus quam partes 30 extracti aquosi praebeant; eadem quantitas combusta ne plus quam partes 4 cineris relinquat.

Semen Sabadillae.

Sabadilla officinarum Brandt, planta bulbosa, spontanea in Andibus Mexicanis, in Guatimala et Venezuela.

Semina oblonga aut lanceolata, sursum acuminata, irregulariter angulosa, circiter 8 millimetra longa, albuminosa, testa tenui, nitente, fusco-nigra, rugulosa. Embryo parvus continetur basi albuminis solidi, carnosi, albidi. Sunt saporis amari et acris.

Ope microscopii observabis cellulas epidermidis testae breviter prismaticas membrana fusca, extus crassiore et endospermium e cellulis polyedris radiatim dispositis membrana decolore porosa, granulis amyli in plasmate oleoso repletis.

100 partes ne plus quam partes 8 cineris relinquant.

Semen Sinapis.

Brassica nigra Koch, planta annua, apud nos indigena et culta.

Semina matura sicca subglobosa, diametro 1—1·5 millimetri, testa extus fusco-rubra sub lente subtilissime reticulato-foveolata, embryone exalbuminoso subviridiflavo, oleoso, conduplicato, cotyledonibus binis applicativis, radicula cylindrica adscendente.

Semina sunt inodora, manducata saporis initio subamari, subacidi et oleosi, dein peracris, urentis.

Pulvis Seminum e subflavo viridescens, **Farina seminum Sinapis**, recens paratus in officinis praesto sit. Aqua humectatus auram explicat volatilem, acerrimam.

Ope microscopii in farina observantur praeprimis fragmenta telae parenchymaticae cotyledonum e cellulis exiguis leptodermis repletis granis aleuri irregulariter formatis et plasmate oleoso; fragmenta testae eiusque telae, imprimis magna polygona, formata e cellulis subepidermalibus unacum cellulis sclereïdeis fuscis, in facie polygonis, in latere lagenae-aut subfusiformibus, inaequaliter incrassatis, longitudinis diversae; particulae strati e cellulis pigmento fusco repletis polygonis nec non particulae strati cellularum membrana crassiuscula,

granulis sphaericis aleuri repletis et cellulae magnae decolores epidermidis testae mucilaginiferae.

100 partes farinae ne plus quam partes 5 cineris relinquant.

Semen Strophanthi.

Generis *Apocyneacearum Strophanthi* species fruticosa Africae tropicae, verosimiliter *Strophanthus Kombé* Olivier.

Semina comosa matura, siccata derupto rostro longo comato 12—18 millimetra longa, 3—5 millimetra lata, compressa, plano-convexiuscula, oblongo-linearia aut lanceolata, acuminata, in latere convexiusculo obtuse carinata, fragilia fractura aequali, indumento crassiusculo, extus tomento griseo-viridi aut fuscescenti e pilis longis adpressis, sericeo-albicantibus vestito, nucleo composito e perispermio tenui subcartilagineo flavido et ex embryone albo oleoso-carnoso cotyledonibus oblongis, radicula longa cylindrica.

Odoris est Semen Strophanthi peculiaris debilis virosi, saporis amarissimi.

Maceratione in aqua facillime separatur indumentum membranaceum, perispermium et embryo. Sectio transversa seminis imprimis perispermii gutta acidi sulfurici humectata colorem caeruleo-viridem, tum rubrum induit.

Ope microscopii explorata testa seminis excellit epidermide e cellulis polygonis, quarum pars externa in pilum longum flexuosum leptodermum protracta, pars lateralis annulatim incrassata est. Cellulae perispermii membrana crassiuscula, ut cellulae parenchymatis em-

bryonis polyedrae leptodermae granula aleuri unacum granulis rarioribus amyli continent.

100 partes mercis ne minus quam partes 12 extracti spirituosi praebeant. Eadem quantitas combusta ne plus quam partes 5 cineris albi, ex toto solubilis in acido hydrochlorico relinquat.

Semen Strychni.

Strychnos Nux vomica L., arbor Indiae orientalis.

Semina discoidea saepe subincurvata, margine incrassata, centro umbonata, 2 — 2·5 centimetra in diametro, indumento molli sericeo, subviridi- vel subflavogriseo e pilis adpressis dense vestita, hilo marginali veruculaeformi, albumine cartilagineo albido aut subglauco bipartito, margine connato, embryonem excentricum cotyledonibus planis, cordatis, palmatim 5- ad 7-nerviis foliaceis et radicula tereti instructum includente.

Pulvis griseo-albus, saporis amarissimi, ope microscopii exploratus exhibet praeprimis fragmenta albuminis e cellulis polygonis decoloribus membrana crassa hyalina, haud porosa, continentibus in plasmate oleoso grana aleuri neque amyli et fragmenta testae, imprimis epidermidis e cellulis sclereideis, singulis basi bulbosa, grosse reticulatim incrassata, e qua sub angulo obtuso enascitur pars angusta piliformis, intra membranam primariam undas rectas lineares membranae secundariae simplices, passim processu brevi coniunctas exhibens, quae e membrana primaria solutae ubique in pulvere copiosissimae reperiuntur.

Partes 100 Seminis Strychni ne minus quam partes 12 extracti spirituosi praebeant. Eadem quantitas

mercis combusta ne plus quam partes 3 cineris fuscescentis relinquat.

Contineat Semen Strychni in partibus 100 partes duas et dimidiam (2·5) alcaloidorum propriorum, quod examines subsequente ratione.

Seminis Strychni in pulvere grammata 6 extrahe conquassando in lagena idonea cum grammis 60 miscellae e partibus 3 aetheris et parte 1 chloroformii. Elapso tempore horae dimidiae admisce centimetra cubica 5 ammoniae et saepius conquassando sensim sensimque centimetra cubica 10 aquae, donec solutio evaserit limpida. Grammata 50 huius solutionis decanta et exquassa vicibus sequentibus cum centimetris cubicis 20, 10 et 5 acidi hydrochlorici diluti (0·5 = 100). Solutionem, addita ammonia alcalinam factam, exquassa binis vicibus cum grammis 60 miscellae supradictae aethereo-chloroformicae. Solutiones aethereo-chloroformicae, collectae in cucurbita accurate ponderata ope destillationis evaporentur; residuum cum aliquot centimetris cubicis aetheris superinfundatur et aether in balneo aquae evaporetur. Haec operatio repetatur, donec residuum, initio verniciforme in massam crystallinam transierit. Tum trutina examinetur.

Pondus huius residui sit 0·125, respondens partibus centesimis alcaloidorum 2·5.

Serum Lactis.

Rp: **Lactis vaccini recentis** *partes* 100.

Ebulliant; sub initio ebullitionis adde

Aceti *partem* 1.

Coagulatione peracta liquorem semirefrigeratum cola et cum

Albuminis ovi gallinacei	*q. s.*

in spumam conquassati mixtum iterum coque.

Iterum colato adde

Magnesii carbonici	*q. s.*

ad neutralisationem acidi et deinde serum refrigeratum filtra.

Si Serum Lactis acidum requiritur, magnesium carbonicum omittatur.

Solutio arsenicalis Fowleri.

Rp: **Acidi arsenicosi**		
Kalii carbonici puri	*aa partem*	1.
Solve calefaciendo in		
Aquae	*partibus*	10.
Solutioni refrigeratae admisce		
Spiritus Vini	*partes*	10
Aquae		*q. s.*
ut pondus totius liquoris sit	*partium*	100.

Sit liquor limpidus, coloris expers, reactionis alcalinae, continens in partibus 100 partem unam (1) acidi arsenicosi anhydrici. Acido hydrochlorico supersaturatus addita aqua hydrosulfurata praecipitatum flavum demittit.

Grammata 5 Solutionis cum grammate 1 natrii hydrocarbonici et centimetris cubicis 20 aquae commixta consumant, ut evadat color miscellae permanenter flavus, centimetra cubica 10·1 solutionis iodi decinormalis.

Solutio Ferri chlorati spirituoso-aetherea.

Spiritus Ferri sesquichlorati aethereus.

Rp:	**Ferri sesquichlorati soluti**	*partem*	1
	Spiritus Aetheris	*partes*	9.

Misce et immitte in lagenam coloris expertem ita, ut partes tres quadrantes lagenae liquore repletae sint. Lagenam optime obturatam expone solis radiis, usque dum liquor decolor evadat. Tum lagenam loco umbroso, eam saepius aperiendo, sepone, donec liquor denuo colorem flavum acceperit.

Liquor limpidus flavus, odoris aetherei, saporis ardentis et styptici ferrosi, ponderis specifici 0·840—0·845, qui adiecta ammonia sedimentum coloris e viridi nigri deponit et in partibus 100 circiter partem 1 ferri continet.

Quodsi aa centimetra cubica 10 Solutionis Ferri chlorati spirituoso-aethereae et kalii acetici soluti in tubo mensurando apto conquassaveris, post sepositionem miscellae centimetra cubica 4—5 liquoris aetherei supranatantis secedant.

Species.

Ad parandas Species medicamenta adhibenda, ut herbae, folia, cortices, ligna, radices conscindendo, contundendo vel raspando comminuta aequabiliter commisceantur.

Pulvis subtilior, comminuendo vegetabilium ortus, ante mixtionem ope cribri ammoveatur.

Fructus et semina contusa ante finem procedendi Speciebus commiscenda sunt.

Gradus comminuendi desideratus substantiarum praescriptarum de norma traiiciendo per cribra sequentia efficiatur.

Folia, flores et herbae	per cribrum Nr. I
Ligna, cortices et radices	per cribrum Nr. I aut II
Fructus et semina	per cribrum Nr. II aut III.

Species quantum fieri potest expertes sint pulvere et optimae clausae in loco sicco servandae.

Species Althaeae.

Rp:	**Foliorum Althaeae**	*partes*	55
	Radicis Althaeae	*partes*	25
	Radicis Liquiritiae	*partes*	15
	Florum Malvae	*partes*	5.

Concisas et commixtas serva.

Species amaricantes.

Rp:	**Herbae Absinthii**		
	Herbae Centaurii minoris		
	Pericarpii Aurantii	*$\overline{aa}$ partes*	20
	Foliorum Trifolii fibrini		
	Radicis Calami aromatici		
	Radicis Gentianae	*$\overline{aa}$ partes*	10
	Corticis Cinnamomi	*partes*	5.

Concisas et commixtas serva.

Species aromaticae.

Rp:	**Herbae Origani**	
	Foliorum Salviae	
	Foliorum Menthae piperitae	
	Florum Lavandulae	*$\overline{aa}$ partes aequales.*

Concisas et commixtas serva.

Ad cataplasma parandum Species in pulverem grossum (III) redigantur.

Species diureticae.

Rp:	**Radicis Ononidis**	
	Radicis Petroselini	
	Radicis Liquiritiae	
	Fructus Iuniperi	*$\overline{aa}$ partes aequales.*

Concisas et contusas misce et serva.

Species emollientes.

Rp:	**Foliorum Althaeae**		
	Foliorum Malvae		
	Herbae Melitoti	*$\overline{aa}$ partem*	1
	Seminis Lini	*partes*	2.

Concisas et contusas misce et serva.

Ad cataplasma parandum Species in pulverem grossum (III) redigantur.

Species laxantes.

Species laxantes St. Germain.

Rp:	**Foliorum Sennae praeparatorum**	*partes*	50
	Florum Tiliae	*partes*	25
	Fructus Foeniculi	*partes*	15
	Kalii natrio-tartarici	*partes*	6
	Acidi tartarici	*partes*	4.

Fructus Foeniculi contusi cum kalio natrio-tartarico, soluto in partibus 10 aquae et elapsa hora cum acido

tartarico, soluto in partibus 4 aquae aequabiliter humectentur, siccentur et reliquis substantiis Specierum admisceantur.

Species Lignorum.

Rp:	Radicis Bardanae		
	Radicis Sarsaparillae		
	Radicis Liquiritiae		
	Ligni Santali rubri	*āa partes*	10
	Ligni Iuniperi		
	Ligni Guaiaci		
	Radicis Sassafras	*āa partes*	20.

Concisas et commixtas serva.

Species pectorales.

Rp:	Florum Malvae		
	Florum Rhoeados		
	Florum Verbasci		
	Fructus Anisi stellati	*āa partes*	2
	Hordei perlati		
	Radicis Althaeae	*āa partes*	10
	Radicis Liquiritiae	*partes*	30
	Foliorum Althaeae	*partes*	42.

Concisas et commixtas serva.

Spiritus.

Ad parandos Spiritus destillatos medicinales substantiae in genere concisae vel contusae adhibeantur, quae ante destillationem cum praescripta spiritus vini

quantitate per 12 horas macerentur; destillatio fiat lege artis in balneo vaporis.

Spiritus destillati medicinales sint ponderis specifici praescripti et odoris et saporis partium volatilium et in spiritu vini solubilium medicaminum, e quibus parantur.

Serventur in lagenis optime clausis in loco obscuro et frigido.

Spiritus Aetheris.

Rp: **Aetheris** *partes* 25
Spiritus Vini *partes* 75.

Misce.

Liquor limpidus decolor, plane volatilis, ponderis specifici 0·805—0·810.

Centimetra cubica 10 Spiritus Aetheris, in tubo mensurando apto cum aequali volumine kalii acetici soluti conquassando mixta et seposita centimetra cubica 5 liquoris aetherei supranatantis offerant.

Charta bibula Spiritu aetheris humefacta post eius evaporationem ne quid odoris exhibeat.

Spiritus Anisi.

Rp: **Fructus Anisi vulgaris** (III) *partes* 25
Spiritus Vini *partes* 75.

Macera per 12 horas; tum destillando lege artis abstrahe
Spiritus Anisi *partes* 100.

Liquor limpidus decolor, odoris et saporis anisacei, ponderis specifici 0·895—0·905.

Spiritus aromaticus.

Rp:	**Foliorum Melissae** (I)	*partes*	150
	Fructus Coriandri (III)	*partes*	100
	Corticis Cinnamomi (III)		
	Seminis Cardamomi (III)		
	Seminis Myristicae (III)	*$\overline{aa}$ partes*	25
	Olei Citri	*partem*	1
	Spiritus Vini	*partes*	800.

Macera per 12 horas; tum abstrahe lege artis

Spiritus aromatici	*partes*	1000.

Liquor limpidus decolor, odoris et saporis grate aromatici, ponderis specifici 0·875—0·882.

Spiritus camphoratus.

Rp:	**Camphorae**	*partes*	10.

Solve in

Spiritus Vini diluti	*partibus*	90.

Filtra.

Liquor limpidus decolor, camphoram fortiter redolens, plane volatilis, ponderis specifici 0·915—0·920.

Quodsi centimetris cubicis 10 Spiritus camphorati temperatura 15° aquam temperaturae aequalis guttatim addideris, ne huius plus quam centimetrum cubicum 1·3—1·6 consumatur, ut sedimentum persistens oriatur.

Spiritus Carvi.

E fructibus **Carvi** paretur ut spiritus Anisi.

Liquor limpidus decolor, odoris et saporis fructus Carvi, ponderis specifici 0·895—0·905.

Spiritus Formicarum.

Rp: **Formicarum rufarum recentium** *partes* 50
Spiritus Vini *partes* 75.

Macera per 12 horas, tum abstrahe lege artis
Spiritus Formicarum *partes* 100.

Liquor limpidus decolor, reactionis acidae, odoris grati subpungentis, ponderis specifici 0·887—0·900, qui cum aequali parte aquae mixtus opalescenter turbatur.

Centimetra cubica 10 Spiritus Formicarum, addito centimetro cubico 1 plumbi acetici basici soluti crystallos albas sericeo-nitentes abundanter deponant.

Spiritus Iuniperi.

E fructibus **Iuniperi** paretur ut spiritus Anisi.

Liquor limpidus decolor, odoris et saporis fructus Iuniperi, ponderis specifici 0·895—0·905.

Spiritus Lavandulae.

E floribus **Lavandulae** paretur ut spiritus Anisi.

Liquor limpidus decolor, odoris suavis florum Lavandulae, ponderis specifici 0·895—0·905.

Spiritus Menthae piperitae.

Rp: **Olei Menthae piperitae** *partes* 5.
Solve in
Spiritus Vini *partibus* 95.

Liquor limpidus decolor, odoris saporisque olei Menthae piperitae, ponderis specifici 0·832—0·836.

Spiritus Rosmarini.

E **foliis Rosmarini** paretur ut spiritus Anisi.

Liquor limpidus decolor, odoris et saporis fortis foliorum Rosmarini, ponderis specifici 0·895—0·905.

Spiritus saponatus.

Rp:	**Olei Olivae**	*partes*	100
	Kalii hydrooxydati soluti	*partes*	60
	Spiritus Vini	*partes*	100.

Digere in lagena clausa, saepius agitando, usque ad perfectam olei saponificationem. Tum adde

Spiritus Vini diluti	*partes*	738
Olei Lavandulae	*partes*	2.

Liquor limpidus, coloris pallide flavescentis, reactionis alcalinae, ponderis specifici 0·900—0·905.

Cum aqua mixtus et conquassatus valde spumam agit.

Spiritus Saponis kalini.

Rp:	**Olei Lini**	*partes*	35
	Kalii hydrooxydati soluti	*partes*	20
	Spiritus Vini diluti	*partes*	44.

Misce fortiter conquassando et sepone per aliquot horas. Peracta saponificatione adde

Olei Lavandulae	*partem*	1

et filtra.

Liquor limpidus, dilute fuscus, reactionis alcalinae, ponderis specifici 0·96—0·97, aqua dilutus conquassando spumam copiosam producens.

Centimetra cubica 10 Spiritus Saponis kalini cum spiritu vini diluta, adiectis nonnullis guttis solutionis phenolphtaleini ne consumant plus, quam centimetra cubica 2 acidi hydrochlorici decinormalis, ut evadant neutra.

Spiritus Sinapis.

Rp: **Olei Sinapis aetherei** *partes* 2.
Solve in
Spiritus Vini *partibus* 98.

Liquor limpidus decolor, oleum Sinapis fortiter redolens, ponderis specifici 0·833—0·837.

Spiritus Vini.

Spiritus Vini concentratus.

Liquor aquae instar limpidus decolor, odoris et saporis mere spirituosi, reactionis neutrius, ponderis specifici 0·830—0·834.

Spiritus quavis proportione cum aqua mixtus ne turbetur; miscella e centimetris cubicis 10 Spiritus Vini et centimetri cubici 0·2 kalii hydrooxydati soluti ad decimam voluminis partem evaporatus et dein acido sulfurico acidulatus odorem fermentolei ne spargat.

In tubo probatorio aequali volumini acidi sulfurici concentrati caute superfusus, eo plano, quo se ambo liquores tangunt, color rosaceus sive fuscus ne oriatur.

Centimetra cubica 5 Spiritus Vini ad siccum evaporata residuum ne relinquant. Centimetra cubica 10 Spiritus additis guttis 5 solutionis argenti nitrici ne

mutentur sive turbentur; aqua hydrosulfurata addita liquor decolor maneat.

Miscella e centimetris cubicis 10 Spiritus et centimetro cubico solutionis kalii hypermanganici (1=1000) colorem rubrum per minuta 20 conservat.

Contineat in 100 partibus partes ponderis 87·2 ad 85·6, partes voluminis 91·2—90 alcoholis.

Spiritus Vini Cognac.

Liquor alcoholicus destillatione e vino obtentus. Sit limpidus, coloris flavi aut fusco-flavi, odoris et saporis suaviter peculiaris spirituosi, ponderis specifici 0·935 ad 0·945, reactionis plerumque leniter acidae.

Ne relinquat e partibus 100 plus quam partem 1·5 residui sicci.

Partes eius 100 contineant partes voluminis 44—48 vel partes ponderis 37—41 alcoholis.

Spiritus Vini dilutus.

Rp: **Spiritus Vini** *partes* 7
Aquae *partes* 3.
Misce.

Liquor limpidus decolor, ponderis specifici 0·892 ad 0·896.

Contineat in partibus 100 partes ponderis 60—61 vel partes voluminis 68—69 alcoholis.

Ceterum reagentia versus se habeat ut spiritus vini.

Stearinum.

Massa alba ex acido stearinico et palmitinico composita, tactu pinguis, temperatura 55°—63° liquescens, in aethere nec non in spiritu vini fervido plane solubilis.

Gramma Stearini cum grammate natrii carbonici et grammis 10 aquae ad 70° calefactum solutionem praebeat, quae additis grammis 4—5 spiritus vini limpida evadit et post refrigerationem in gelatinam transit.

Stearinum ignitum sine residuo comburat.

Stibium Kalio-tartaricum.

Crystalli tetraëdricae albae, aëre fatiscentes, sive pulvis albissimus, saporis primum dulcis, dein irritantis metallici, in partibus circiter 17 aquae frigidae, 3 fervidae solubilis.

Solutio aquosa, reactionis leniter acidae addita aqua calcis sedimentum praebet album in acido acetico facile solubile, acido hydrochlorico acidulata aqua hydrosulfurata addita praecipitatum aurantiacum, ammonio carbonico insolubile demittit.

Miscella e grammate Stibii Kalio-tartarici pulverati et centimetris cubicis 3 solutionis stanni chlorati intra horam ne fuscescat.

Stibium sulfuratum aurantiacum.

Pulvis subtilissimus rubro-aurantiacus, valde depingens, odoris expers, insipidus, in acido hydrochlorico sulfure derelicto, in natrio hydrooxydato soluto fere ex toto solubilis.

Decigramata 5 cum solutione acidi tartarici diluta conquassata liquorem praebeant, qui filtratus, addita aqua hydrosulfurata nullum vel nonnisi perexiguum praecipitatum coloris aurantiaci deponat.

Gramma Stibii sulfurati aurantiaci cum centimetris cubicis 20 aquae conquassatum filtratum praebeat, quod addito argento nitrico ad summum opalescat, ne vero fuscescat; baryo nitrico ne plus quam opalescenter turbetur.

Decigrammata 5, cum decupla quantitate solutionis saturatae ammonii carbonici temperatura 50°—60° per minuta 2 conquassata filtratum praebeant, quod acido hydrochlorico acidulatum intra horas 6 sedimentum flavum ne deponat.

Stibium sulfuratum nigrum.

Frusta ponderosa e nigro grisea, e crystallis acicularibus, metallice splendentibus, friabilibus composita, in aëre immutabilia, leni igne liquescentia; acido hydrochlorico calefacta gas hydrosulfuratum emittunt. Gutta solutionis acidae in lamina platinea stillata, adiecto granulo zinci metallici hanc macula nigra antimonio reducto obducit.

Grammata 2 Stibii sulfurati nigri subtilissime pulverati cum centimetris cubicis 20 acidi hydrochlorici leniter calefacta, demum saepius agitando cocta ne plus quam centigrammata 2 residui insolubilis relinquant.

Strychninum nitricum.

Crystalli aciculares decolores, saporis amarissimi, in partibus circiter 90 aquae frigidae, 3 aquae fervidae, 80 spiritus vini frigidi, 5 fervidi solubiles. Solutio aquosa

est reactionis neutrius, addito kalio hydrooxydato soluto praecipitatum album, superabundante reagente insolubile deponit.

Crystallus Strychnini nitrici in acidum hydrochloricum ebulliens immersa huic colorem rubrum tribuit.

Solutio aquosa concentrata, addito kalio chromico soluto praecipitatum demittit rubro-flavum crystallinum, quod acido sulfurico concentrato humectatum colorem caeruleum ad violaceum ducit.

Strychninum nitricum cum acido sulfurico concentratro solutionem decolorem praebeat, cum acido nitrico contritum colorem subflavum, ne vero rubrum exhibeat.

Ignitum deflagret nihil residui relinquens.

Sulfonalum.

Crystalli prismaticae decolores, odoris et saporis expertes, temperatura 125°—126° liquescentes, quae calefactae sine residuo avolant, incensae flamma lucida comburunt et acidum sulfurosum emittunt. Solvuntur in partibus circiter 500 aquae frigidae, in 15 aquae fervidae, in 65 spiritus vini frigidi, in 2 spiritus vini fervidi, in 135 aetheris.

Sulfonalum cum pulvere carbonis ligni in tubo probatorio calefactum odorem mercaptani spargit.

Sulfonalum in aqua bulliente (1 = 50) solutum liquorem praebeat odoris expertem, qui refrigeratus sit reactionis neutrius nec addito baryo nitrico nec argento nitrico soluto mutetur.

Centimetra cubica 10 huius solutionis, gutta solutionis kalii hypermanganici (1 = 1000) mixta colorem rubrum induant, qui ne statim evanescat.

Sulfur depuratum.

Rp: **Sulfuris sublimati venalis** *partes* 100.
Contere cum
Aquae *partibus* 70
Ammoniae *partibus* 10.

Miscella saepius agitando stet per diem, tum sedimentum a liquore separatum, prorsus elutum et siccatum per cribrum traiiciatur.

Pulvis subtilis citrinus, siccissimus, odoris et saporis expers; incensus deflagrat, odorem acidi sulfurosi spargens.

Aqua humectatus chartam exploratoriam ne mutet.

Gramma Sulfuris depurati cum grammis 20 ammoniae temperatura 35°—40° saepius conquassatum, filtratum praebeat, quod acido hydrochlorico acidulatum vel addita aqua hydrosulfurata colorem flavum ne induat.

Fervefactum deflagret, ne plus quam partem centesimam ponderis sui residui relinquens.

Sulfur praecipitatum.

Pulvis subtilissimus amorphus albidus, in carboneo sulfurato facile solubilis; in aëre fervefactus inflammat, odorem acidi sulfurosi spargens. Aqua humectatus chartam exploratoriam caeruleam ne mutet.

Gramma Sulfuris praecipitati, cum grammis 20 ammoniae temperatura 35°—40° saepius conquassatum filtratum praebeat, quod, acido hydrochlorico acidulatum, vel aqua hydrosulfurata addita colorem flavum ne induat.

Gramma Sulfuris praecipitati ignitum deflagrat, residuum ponderabile ne relinquat.

Suppositoria.

Medicamenta inducenda in cavitates corporis (in anum, vaginam, nares, meatum auditorium externum) formae cylindricae, conicae, ovalis aut globosae, solidae aut cavae.

Eorum massa constituens praeparata est ex oleo Cacao, e sapone stearinico mixto cum glycerino aut e gelatina glycerinata, cui substantia medicamentosa sola pura aut subacta ope liquoris idonei exactissime admiscetur.

In suppositoriis cavis ne dispensentur substantiae efficaciores aut solidae, nisi praescriptae a medico.

Suppositoria analia dispensantur maxima ex parte sub forma coni ponderis grammatis 1—3, longitudinis centimetrorum 2·5—5 et diametri maximi 1—1·5 centimetri. Eorum massa plerumque ex oleo Cacao confecta est.

Suppositoria vaginalia (Globuli vaginales) globosa, ponderis 4—6 grammatum, plerumque massam exhibent ex oleo Cacao vel gelatina glycerinata.

Suppositoria Glycerini.

Rp: **Natrii carbonici crystallisati** *partes* 5
Stearini *partes* 9.
Solve in balneo aquae in
Glycerini *partibus* 100
calefaciendo ad perfectam saponificationem.

E massa formentur Suppositoria ponderis et grammatum duorum et trium.

Syrupi.

Ad syrupos conficiendos saccharum albissimum grosse pulveratum, nisi aliter decernitur, in quantitate praescripta liquoris medicamentosi filtrati unica ebullitione solvitur. Interdum solutio sacchari efficitur temperatura ordinaria aut temperatura balnei aquae. Syrupus eo modo enatus colatur aut filtratur.

Syrupi serventur in lagenis parvis, quantum fieri potest sterilefactis, optime obturatis in loco frigido et sicco.

Syrupi, exempto syrupo amygdalino sint limpidi, saporis dulcissimi una cum sapore medicaminis adhibiti, ponderis specifici 1·26—1·33.

Quodsi grammata 20 Syrupi, in aequali quantitate aquae soluta et cum acido phosphorico acidulata duobus vicibus cum centimetris cubicis 20 aetheris exquassaveris, residuum solutionis aethereae evaporatae in centimetris cubicis 10 aquae fervidae solutum ne exhibeat saporem dulcem neque adiecta gutta ferri sesquichlorati soluti colorem violaceum.

Syrupus Althaeae.

Rp:	**Radicis Althaeae** aqua elutae (I)	*partes*	4
	Aquae	*partes*	60.

Macera, saepius agitando per bihorium; tum cola et filtra. In filtrati *partibus* 10

solve

Sacchari	*partes*	16

et coque in syrupum.

Sit coloris straminei.

Syrupus amygdalinus.

Rp: **Amygdalarum dulcium** decorticatarum *partes* 80
Amygdalarum amararum decorticatarum *partes* 20.
Contere exactissime cum
Sacchari *partibus* 50
Aquae *partibus* 200
ut fiat emulsio.

In colatura expressione effecta solve temperatura balnei aquae
Sacchari in pulvere *partes* 250.

Syrupus amygdalinus sit turbide albidus; cum aqua mixtus efficiat emulsionem.

Syrupus Aurantii.

Rp: **Pericarpii Aurantii** (I) *partes* 10
Vini albi *partes* 100.
Macera saepius agitando per 24 horas; tum filtra.
In filtrati *partibus* 10
solve
Sacchari *partes* 16
et coque in syrupum.

Sit coloris obscure flavi, redolens oleum pericarpii Aurantii.

Syrupus Aurantii florum.

Syrupus Naphae.

Rp: **Sacchari** in pulvere *partes* 15.
Solve temperatura ordinaria in
Aquae Aurantii florum *partibus* 10
et filtra.

Sit decolor, odoris saporisque suavissimi florum Aurantii.

Syrupus Cinnamomi.

Rp: **Corticis Cinnamomi** (III) *partes* 10
Aquae Cinnamomi *partes* 50.
Macera saepius agitando per 24 horas; tum filtra.
In filtrati *partibus* 10
solve calefaciendo in balneo aquae
Sacchari in pulvere *partes* 15.

Sit coloris e rubro fusci, redolens oleum corticis Cinnamomi.

Syrupus Ferri iodati.

Rp: **Iodi** *partes* 41.
Superaffunde
Aquae *partes* 50
et immitte sensim sensimque
Ferri pulverati *partes* 13.
Reactione peracta liquorem filtra per filtrum parvum in
Syrupi simplicis *partes* 850
continentes solutam
Acidi citrici *partem* 1.
Eluto filtro cum aqua redige pondus
Syrupi ad *partes* 1000.

Syrupus Ferri iodati sit coloris expers aut leniter e flavido viridis. Contineat partes 5 ferri iodati in 100 partibus.

Servetur in lagenis e vitro decolore, luci expositis.

Quodsi centimetra cubica 10 solutionis e grammis 10 Syrupi, dilutis aqua ad centimetra cubica 50 cum nonnullis guttis acidi nitrici et centimetris cubicis 6·4 solutionis decinormalis argenti nitrici commiscueris, miscellam tum optime conquassaveris et filtraveris, filtratum obtentum ne addita denuo solutione argenti nitrici, neque adiecto Syrupo Ferri iodato nisi opalescenter turbetur.

Syrupus Ipecacuanhae.

Rp: **Tincturae Ipecacuanhae** *partes* 10
Syrupi simplicis *partes* 90.
Misce.
Sit coloris e fusco flavidi.

Syrupus Menthae.

Rp: **Sacchari** in pulvere *partes* 15.
Solve temperatura ordinaria in
Aquae Menthae piperitae *partibus* 10.
Filtra.
Sit coloris expers.

Syrupus Mororum.

Rp: **Fructuum Mori nigrae** maturorum recentium *partes* 1000.
In pultem redactis adde
Sacchari *partes* 50.
Stent, saepius agitando temperatura circiter 20°, donec fermentatio vinosa peracta sit et volumina 2 probae

filtratae cum volumine 1 spiritus vini commixta turbida ne evadant neque sedimentum deponant. Deinde exprime et filtra. Filtrati *partes* 10
cum
Sacchari *partibus* 16
in syrupum coque.

Sit coloris splendide obscure rubri. Aequali quantitate aquae dilutus, conquassando cum alcohole amylico ne rubefaciat hunc ipsum, nequidem addito acido hydrochlorico aut natrio hydrooxydato soluto.

Quodsi grammata 20 Syrupi, grammis 40 aquae diluta et acido tartarico acidulata immissis nonnullis filis lanae ovilis albis in balneo aquae per horam fervefeceris, haec filae, optime aqua elutae et tum siccatae ne exhibeant colorem splendide rubrum, nec immissae in centimetra cubica 2—3 spiritus vini, acidi hydrochlorici aut ammoniae hos liquores colore rubro inficiant.

Syrupus opiatus.*)

Rp: **Extracti Opii** *partem* 1.
Solve in
Syrupi simplicis *partibus* 999.
Filtra.

Syrupus opiatus sit coloris e fusco flavi, odoris debilis narcotici.

Quodsi grammata 3 Syrupi opiati cum grammis 5 chloroformii et grammis 5 solutionis acidi iodici (2 = 100) recenter paratae in lagena, epistomio vitreo munita conquassaveris, spatio quadrantis horae stratum

*) Loco Syrupi Papaveris.

chloroformicum ne exhibeat colorem roseum, sed eiusmodi color efficitur, quodsi grammata 5 Syrupi opiati adhibueris.

Syrupus Rhei.

Rp: **Radicis Rhei** (I) *partes* 10
Natrii boracici *partes* 2
Spiritus Vini diluti *partes* 10
Aquae *partes* 90.

Sepone per 24 horas saepius agitando; tum filtra.
In filtrati *partibus* 10
solve
Sacchari *partes* 16
et coque in syrupum.

Sit coloris e fusco rubri, redolens radicem Rhei.

Syrupus Ribium.

Paretur e fructibus maturis recentibus **Ribis rubri** ut syrupus Mororum. Examinetur aequali modo.

Syrupus Rubi Idaei.

Paretur e fructibus maturis recentibus **Rubi Idaei** ut syrupus Mororum et aequali modo examinetur.

Syrupus Senegae.

Rp: **Radicis Senegae** (II).
Spiritus Vini $\overline{aa}$ *partes* 10
Aquae *partes* 90.

Macera per 24 horas saepius agitando; tum filtra.

In filtrati	*partibus*	10
solve		
Sacchari	*partes*	15

et coque in syrupum.

Sit limpidus, coloris subfusco-flavi; cum aqua conquassatus valde spumam producens.

Syrupus Sennae compositus.

Syrupus Sennae cum Manna.

Rp: **Foliorum Sennae** (II)	*partes*	10
Fructus Anisi stellati (III)	*partem*	1
Aquae	*partes*	100.

Macera per 12 horas saepius agitando; tum cola.

In colaturae	*partibus*	10
solve		
Mannae	*partes*	2
Sacchari	*partes*	15

et coque in syrupum.

Syrupus simplex.

Rp: **Aquae**	*partes*	10
Sacchari	*partes*	16.

Coque in syrupum et filtra.

Sit limpidus, coloris expers, ponderis specifici 1·30—1·33.

Miscella e grammis 5 Syrupi et centimetris cubicis 10 solutionis dilutae alcalinae cupri tartarici (1=10) per semihoram temperatura ordinaria seposita ne exhibeat sedimentum cupri oxydulati.

Talcum.

Magnesium silicicum in pulvere subtilissimo crystallino albo, tactu unguinoso, ponderis specifici 2·7.

In tubulo probatorio candefactum ne mutetur.

Tannalbinum.

Pulvis amorphus subfuscus, odoris et saporis expers, in aqua et spiritu vini fere insolubilis. In solutione natrii hydrooxydati fervida solvitur; liquor obtentus, coloris nigro-fusci, acido hydrochlorico supersaturatus sedimentum album copiosum et parvam quantitatem hydrogenii sulfurati emittit. Cum aqua conquassatum et filtratum liquorem praebet, qui addita gutta ferri sesquichlorati soluti colorem e caeruleo nigricantem trahit.

Gramma Tannalbini cum decigrammate pepsini, centimetris cubicis 50 aquae et centimetro cubico 1·5 acidi hydrochlorici diluti per 4 horas temperatura 40° digestum partim solvatur; ad summum gramma dimidium residui insoluti, cum centimetris cubicis 30 aquae loti et temperatura 100° siccati relinquat.

In cinerem redactum Tannalbinum residui ne plus quam centesimam partem relinquat.

Tela sericea adhaesiva.

Emplastrum Anglicanum.

Rp: **Ichthyocollae** minutim concisae *grammata* 50
Aquae *grammata* 1000.
Solve ope balnei aquae.
Liquori percolato admisce
Glycerini *grammata* 3.

Tum illine sensim sensimque totam huius miscellae leni calore liquatae quantitatem ope penicilli satis magni et lati supra telam bombycinam coloris nigri, albi aut rosei, magnitudinis 5000 centimetrorum quadrati eo modo, ut post quamlibet inductionem expectes, donec tela penitus sicca fuerit.

Tum telae expansae superficies opposita illiniatur miscella e

Tincturae Benzoë	*grammis*	10
Spiritus Vini	*grammis*	20
Balsami Peruviani	*grammis*	2.

Tela optime siccata in segmenta secetur.

Tela sericea adhaesiva rigida sit et madefacta cuti optime adhaereat.

Theobrominum.

Crystalli decolores vel pulvis crystallinus albus, odoris expers, saporis amari, in 1600—1700 partibus aquae frigidae (0°), in 140 circiter partibus aquae fervidae, difficillime in spiritu vini nec non in chloroformio solubilis, facile solubilis in acido hydrochlorico et in acido nitrico diluto, in kalio vel natrio hydrooxydato soluto et in ammonia. Solutio aquosa est reactionis neutrius.

Solutio Theobromini, ope aquae chlori effecta, in balneo aquae ad siccum evaporata residuum coloris rutilo-flavi, vaporibus ammoniae expositum aut ammonia humectatum coloris purpurei exhibet.

Theobrominum in acido sulfurico concentrato solutum liquorem praebeat decolorem. Calefactum sine residuo avolet.

Theobrominum Natrio-salicylicum.*)

Rp: Natrii hydrooxydati	*partem*	1.

Solve in

Aquae	*parte*	1

adde

Spiritus Vini	*partes*	8.

Misce et sepone in vase bene clauso, donec sedimentum perfecte depositum et liquor limpidus enatus fuerit. Tum in proba huius liquoris ope solutionis alcalimetricae decinormalis statuatur copia natrii hydrooxydati in ea contenti.

Quantitati huius solutionis alcoholicae natrii hydrooxydati respondenti grammis 40 natrii hydrooxydati adde

Theobromini	*grammata*	180
Aquae	*grammata*	200.

Calefac ad solutionem Theobromini perfectam, tum admisce

Natrii salicylici	*grammata*	160

soluta in

Aquae	*grammis*	150

et evapora statim in balneo aquae ad siccitatem.

Sit pulvis amorpho-crystallinus albus, odoris expers, saporis e dulci amaricantis nec non alcalini, in dimidia ponderis parte aquae fervidae solubilis.

Solutio aquosa reactionis alcalinae, ferro sesquichlorato soluto colorem, si est concentrata rubrofuscum, si est valde diluta violaceum induit.

Contineat in partibus 100 minime partes 45 Theobromini. Quodsi solutioni e grammate Theobromini

*) In mercatura occurit sub nomine „Diuretin".

Natrio-salicylici in grammis 10 aquae fervidae gramma natrii hydrocarbonici pulverati addideris, sedimentum hinc enatum Theobromini per 4 horas sepositum et in filtro collectum duabus vicibus grammis 5 aquae frigidae elotum, temperatura 100° siccatum minime sit ponderis centigrammatum 45. Solvatur facile in natrio hydrooxydato soluto.

Servetur in vase bene clauso.

Thymolum.

Crystalli tabulaeformes decolores, pellucidae, oleum Thymi redolentes, saporis aromatici urentis; calore 50°—51° liquescunt, in partibus circiter 1100 aquae, facile in spiritu vini, aethere, chloroformio solvuntur nec non in natrio hydrooxydato soluto. Crystallus in aquam iniecta imum petit, liquefacta aquae supernatat.

Thymolum temperatura ordinaria in quadruplo pondere acidi sulfurici concentrati solvitur; liquor coloris subflavi calefaciendo colorem roseum induit. Haec solutio in decuplam quantitatem aquae infusa et plumbo carbonico supersaturata filtratum praebet, quod addito pauxillo ferri sesquichlorati soluti colorem e violaceo caeruleum induit.

Solutio aquosa Thymoli sit reactionis neutrius; addito ferro sesquichlorato soluto colorem violaceum ne trahat.

Decigramma Thymoli calori balnei aquae vase apperto expositum avolet, residuum ponderabile ne relinquat.

Tincturae.

In conficiendis Tincturis in genere substantiae lege artis comminutae in lagena bene tecta cum quantitate liquoris definiti praescripta superinfundantur et in loco umbroso temperatura circiter 20°, saepius agitando per 8 dies seponantur. Dein colentur, remanentia, si opus fuerit, exprimatur et liquor, postquam per biduum subsederit, filtretur. Ne expleas fluidum forsitan deficiens supplemento. Quodsi gradus comminuendi substantiarum adhibitarum definitus non est, herbae et folia gradui subtilitatis cribri Nr. II, cortices, radices et ligna illo cribri Nr. III, semina et omnes substantiae perdurae illo cribri Nr. IV respondeant.

Parandis Tincturis ope apparatus depulsorii idem valet, quod apud extracta fluida notatum est.

Tincturae e substantiis minus efficacibus in genere parentur in proportione 1:5, Tincturae e substantiis efficacioribus in proportione 1:10 liquidi definiti ope macerationis aut ope percolationis aut ope solutionis simplicis. Tincturae, quarum quantitas substantiae efficacis praescripta est, conficiantur accurate eadem quantitate vel percolando vel si opus fuerit diluendo.

Ad determinandam quantitatem residui Tincturae sicci grammata 10 evaporentur in lagenula ad trutina examinandum apta diametri millimetrorum 40 et fundo plano ope balnei aquae ad siccitatem; residuum temperatura 100° per horam siccetur, in apparatu exsiccatorio refrigeretur, postremo trutina examinetur.

Ad examinandum Tincturae colorem adhibeatur cylindrum e vitro decolore diametri millimetrorum 20, quod impletur Tinctura definita.

Tincturae serventur in lagenis optime obturatis in loco frigido et obscuro. Dispensentur perfecte limpidae.

Tinctura Absinthii composita.

Rp:	**Herbae Absinthii**	*partes*	10
	Pericarpii Aurantii	*partes*	4
	Radicis Calami aromatici	*partes*	2
	Radicis Gentianae	*partes*	2
	Corticis Cinnamomi	*partem*	1
	Spiritus Vini diluti	*partes*	100.

Liquor limpidus, coloris obscure e fusco viridis, saporis valde amari et condimentarii, ponderis specifici circiter 0·904.

Ne exhibeat in partibus 100 minus quam partes 3 residui.

Tinctura Aloës composita.

Rp:	**Aloës**	*partes*	6
	Radicis Gentianae		
	Radicis Rhei		
	Radicis Zedoariae		
	Florum Croci	*aa partem*	1
	Spiritus Vini diluti	*partes*	200.

Liquor coloris obscure e flavo fusci, saporis amari et condimentarii, Crocum redolens, colore flavo depingens, ponderis specifici circiter 0·908.

Ne relinquat e partibus 100 minus quam partes 2·5 residui.

Tinctura amara.

Rp: **Foliorum Trifolii fibrini**
Herbae Centaurii minoris
Radicis Gentianae
Pericarpii Aurantii — *āā partes* 2
Natrii hydrocarbonici — *partem* 1
Spiritus Vini — *partes* 10
Aquae Cinnamomi — *partes* 90.

Macera per 3 dies, exprime et liquorem sepone per aliquot temporis, tum filtra.

Liquor coloris obscure e rubro fusci, reactionis alcalinae, saporis amari et condimentarii, ponderis specifici circiter 0·996.

Ne relinquat e partibus 100 minus quam partes 2·3 residui.

Tinctura Arnicae.

Rp: **Radicis Arnicae** — *partes* 16
Florum Arnicae — *partes* 4
Spiritus Vini diluti — *partes* 100.

Liquor coloris obscure e fusco flavi, odoris peculiaris debilis aromatici, saporis subacris, ponderis specifici circiter 0·903.

Ne relinquat e partibus 100 minus quam partes 2·5 residui.

Tinctura aromatica.

Rp: **Corticis Cinnamomi** — *partes* 10
Radicis Zingiberis — *partes* 4

Radicis Zedoariae		
Florum Caryophylli		
Seminis Cardamomi	*$\overline{aa}$ partes*	2
Spiritus Vini diluti	*partes*	100.

Liquor coloris e flavo fusci, odoris et saporis valde aromatici, ponderis specifici circiter 0·900.

Ne relinquat e partibus 100 minus quam 1·5 partem residui.

Tinctura Aurantii.

Tinctura Aurantii corticis.

Rp: **Pericarpii Aurantii**	*partes*	20
Spiritus Vini diluti	*partes*	100.

Liquor coloris e fusco flavi, odoris saporisque pericarpii Aurantii, ponderis specifici circiter 0·920.

Ne praebeat e partibus 100 minus quam partes 6 residui.

Tinctura Belladonnae foliorum.

Rp: **Foliorum Belladonnae** (III)	*partes*	10.

Humecta aequabiliter cum

Spiritus Vini diluti	*partibus*	5.

Elapsis horis 3 sepositionis in vase bene tecto ingere massam in apparatum depulsorium et superaffunde

Spiritus Vini diluti		*q. s.*

Elapsis horis 48 fac ut liquor stillet usque ad quantitatem

Tincturae iustae	*partium*	100.

Liquor coloris olivacei, saporis vix amariusculi, ponderis specifici circiter 0·901. Contineat centigrammata tria (3) alcaloidorum propriorum in grammis 100.

Grammata 10 Tincturae in balneo aquae ad dimidium evaporata, tum cum duplici quantitate aquae diluta et filtrata exquassa chloroformio. Solutione chloroformica evaporata remaneat residuum, quod in centimetris cubicis 10 aquae fervidae solutum et filtratum liquorem praebeat, qui adiecta gutta ammoniae fluorescentiam valde perspicuam coloris e caeruleo viridescentis exhibeat.

Ad determinandam quantitatem alcaloidorum in Tinctura contentorum evapora grammata 100 diluta cum grammis 30 aquae in patina porcellanea ad quantitatem circiter grammatum 20 et filtra accurate in infundibulum separatorium. Additis centimetris cubicis 2 natrii carbonici soluti (1=4) exquassa cum chloroformii centimetris cubicis 20, tum 10, dein 5. Solutiones chloroformicas collectas exquassa denuo vicibus sequentibus cum 20, 10 et 5 centimetris cubicis aquae acido hydrochlorico acidulatae. Solutiones aquosas acidas collectas, solutione natrii carbonici alcalinas factas exquassa ternis vicibus cum centimetris cubicis 10 chloroformii. Solutionem chloroformicam ingere in lagenulam ad trutina examinandum aptam, collo amplo instructam noti ponderis et evapora chloroformium. Lagenulam cum residuo crystallino fere perfecte albo sicca temperatura 100° et refrigeratam in apparatu exsiccatorio trutina examina. Pondus residui sit centigrammatum 3.

Tinctura Benzoës.

Rp: **Resinae Benzoë** *partes* 20.

Solve in

Spiritus Vini *partibus* 100.

Liquor coloris e flavo fusci, odorem spargens Benzoës suavem, ponderis specifici circiter 0·882.

Admixta aqua fluidum lacteum reactionis acidae producit.

Ne relinquat e partibus 100 minus quam partes 18 residui.

Tinctura Calami aromatici.

Rp: **Radicis Calami aromatici** *partes* 20.

Spiritus Vini diluti *partes* 100.

Liquor coloris flavo-fusci, odoris et saporis radicis Calami aromatici, ponderis specifici circiter 0·910.

Ne relinquat e partibus 100 minus quam partes 3·5 residui.

Tinctura Cantharidum.

Rp: **Cantharidum** (III) *partes* 10.

Fiat cum

Spiritus Vini *q. s.*

modo tincturae Belladonnae

Tinctura *partium* 100.

Liquor coloris e flavo vel e viridi fusci, odoris nauseosi, saporis peracris, urentis, ponderis specifici circiter 0·835.

Ne relinquat e partibus 100 minus quam partem 1·5 residui.

Tinctura Cascarillae.

Rp: **Corticis Cascarillae** *partes* 20
Spiritus Vini diluti *partes* 100.

Liquor coloris fusci, odoris peculiaris aromatici, saporis amari et aromatici, ponderis specifici circiter 0·900.

Ne relinquat e partibus 100 minus quam partem 1·5 residui.

Tinctura Castorei.

Rp: **Castorei** *partes* 20
Spiritus Vini diluti *partes* 100.

Liquor obscure fuscus, odoris peculiaris Castorei, ponderis specifici circiter 0·935; cum aequali quantitate aquae mixtus praebeat fluidum lacteum resina abundanter secessa.

Ne relinquat e partibus 100 minus quam partes 12 residui.

Tinctura Chamomillae.

Rp: **Florum Chamomillae vulgaris** *partes* 20
Spiritus Vini diluti *partes* 100.

Liquor olivaceus, redolens flores Chamomillae, saporis amari, ponderis specifici circiter 0·910.

Ne relinquat e partibus 100 minus quam partes 3 residui.

Tinctura Chinae composita.

Rp:	**Corticis Chinae**	*partes*	10
	Radicis Gentianae		
	Pericarpii Aurantii		
	Corticis Cinnamomi	*āā partes*	5
	Spiritus Vini diluti	*partes*	100.

Liquor coloris rubro-fusci, saporis amari et condimentarii, ponderis specifici circiter 0.915.

Ne relinquat e partibus 100 minus quam partes 6 residui.

Tinctura Cinnamomi.

Rp:	**Corticis Cinnamomi**	*partes*	20
	Spiritus Vini diluti	*partes*	100.

Liquor coloris rubro-fusci, odoris et saporis corticis Cinnamomi, ponderis specifici circiter 0·905.

Ne relinquat e partibus 100 minus quam partes 2 residui.

Tinctura Colchici seminis.

Rp:	**Seminis Colchici in toto**	*partes*	10.
	Fiat cum		
	Spiritus Vini diluti		*q. s.*
	ope apparatus depulsorii		
	Tinctura	*partium*	100.

Liquor coloris flavi, saporis valde amari, ponderis specifici circiter 0·901.

Quodsi guttas 20 Tincturae in patina porcellanea ope balnei aquae evaporaveris et residuo obtento guttas 10

acidi sulfurici concentrati et granulum kalii nitrici addideris, agitando baculo vitreo, rigae coloris violacei oriantur, addita tum solutione natrii hydrooxydati color latericius proveniat.

Ad determinandam quantitatem alcaloidorum in Tinctura Colchici contentorum evapora grammata 100 Tincturae, dilutae cum grammis 30 aquae in patina porcellanea ope balnei aquae ad quantitatem circiter grammatum 20. Liquorem refrigeratum filtra sine damno in infundibulum separatorium et exquassa vicibus sequentibus cum centimetris cubicis chloroformii 20, 10 et 5. Residuum solutionum chloroformicarum collectarum evaporatarum solve in nonnullis centimetris cubicis aquae; solutionem filtra accurate in infundibulum separatorium et exquassa ternis vicibus cum centimetris denis chloroformii. Solutionem chloroformicam ingere in lagenulam ad examinandum trutina aptam, collo amplo instructam ponderis noti et sepone usque chloroformium evaporatum fuerit, residuum tum humecta cum paucis guttis spiritus vini diluti, temperatura 100° sicca et refrigeratum in apparatu exsiccatorio trutina examina. Pondus residui sit centigrammatum 4, respondens partibus 0·04 centesimis alcaloidorum propriorum.

Tinctura Digitalis.

Rp: **Foliorum Digitalis** (III) *partes* 10.
Fiat cum
Spiritus Vini diluti *s. q.*
modo tincturae Belladonnae
Tinctura *partium* 100.

Liquor coloris obscure olivacei, odoris debilis foliorum Digitalis, ponderis specifici circiter 0·905.

Quodsi grammata 10 Tincturae, mixta cum aequali quantitate aquae et ope balnei aquae ad dimidium evaporata plumbo acetico basico soluto praecipitaveris et liquorem filtratum chloroformio exquassaveris, evaporato chloroformio residuum remaneat, quod in acido sulfurico concentrato solutum, addito pauxillo aquae bromi colorem violaceum accipiat.

Quodsi remanentiam grammatum 2 Tincturae in balneo aquae evaporatorum in centimetris cubicis nonnullis aquae solveris, admixtis guttis 3 acidi hydrochlorici filtraveris et filtratum cum aqua dilueris ad quantitatem centimetrorum cubicorum 10, liquor inde enatus addito centimetro cubico solutionis acidi tannici (1=20) ad impelluciditatem turbidus evadat.

Ne relinquat e partibus 100 minus quam partes 2·5 residui.

Tinctura Gallarum.

Rp: **Gallarum** *partes* 20

Spiritus Vini diluti *partes* 100.

Liquor coloris flavo-fusci, saporis valde adstringentis, cum aqua mixtus limpidus remanens, ponderis specifici circiter 0·950.

Aqua valde dilutus, addito vestigio solutionis ferri sesquichlorati colorem caeruleum accipit.

Ne relinquat e partibus 100 minus quam partes 11 residui.

Tinctura Gentianae.

Rp:	**Radicis Gentianae**	*partes*	20
	Spiritus Vini diluti	*partes*	100.

Liquor coloris e rubicundo flavi, saporis peramari, ponderis specifici circiter 0·915.

Centimetra cubica 2 Tincturae sensim sensimque mixta cum aequali volumine acidi sulfurici concentrati colorem obscure fusco-rubrum trahant; adiectis tum centimetris cubicis 25 aquae sedimentum copiosum floccosum oriatur.

Ne relinquat e partibus 100 minus quam partes 4·5 residui.

Tinctura Guaiaci.

Rp:	**Resinae Guaiaci**	*partes*	20
	Spiritus Vini	*partes*	100.

Liquor coloris obscure e rubro fusci, saporis amariusculi et subacris, ponderis specifici circiter 0·870.

Cum aqua mixtus secreta resina evadit lacteus, sed addito natrio hydrooxydato soluto resina secreta perfecte solvitur.

Ne relinquat e partibus 100 minus quam partes 16 residui.

Tinctura Ipecacuanhae.

Rp:	**Radicis Ipecacuanhae** (V)	*partes*	10.
	Fiat cum		
	Spiritus Vini diluti		*s. q.*
	modo tincturae Belladonnae		
	Tinctura	*partium*	100

Liquor coloris e rubicundo flavi, saporis amariusculi, in dosi maiore nauseosi, ponderis specifici circiter 0·903.

Quantitas alcaloidorum, examinata ea ratione, quae valet pro tinctura Belladonnae, sit decigrammatum 2 in grammis 1·00 Tincturae.

Tinctura Iodi.

Rp: **Iodi** *partem* 1.

Solve triturando in

Spiritus Vini (95 proc.) *partibus* 9.

Liquor obscure rubro-fuscus, iodum fortiter redolens, calore ex toto avolans, ponderis specifici 0·888—0·890.

Centimetra cubica Tincturae 2, additis decigrammis 5 kalii iodati cum circiter centimetris cubicis 100 aquae diluta, ne minus quam centimetra cubica 13·5 solutionis decinormalis natrii thiosulfurici consumant, ut liquor decolor evadat.

Tinctura Lobeliae.

Rp: **Herbae Lobeliae** (III) *partes* 10.

Fiat cum

Spiritus Vini diluti *s. q.*

modo tincturae Belladonnae

Tinctura *partium* 100.

Liquor coloris olivacei, saporis nauseoso-subacris, ponderis specifici circiter 0·904.

Ne relinquat e partibus 100 minus quam partem 1·5 residui.

Tinctura Myrrhae.

Rp: **Gummiresinae Myrrhae** *partes* 20
Spiritus Vini *partes* 100.

Liquor coloris e rubicundo flavi, odoris peculiaris suavis, saporis amariusculi, subacris, ponderis specifici circiter 0·850; addita aqua liquidum lacteum producens.

Centimetra cubica 2—3 Tincturae, additis guttis nonnullis acidi nitrici concentrati leniter calefacta colorem e rubro violaceum exhibent. Ne relinquat e partibus 100 minus quam partes 5 residui.

Tinctura Opii crocata.

Rp: **Florum Croci** *partes* 2
Opii (IV) *partes* 10
Spiritus Vini diluti *partes* 40
Aquae Cinnamomi *partes* 60.

Macera per 8 dies saepius agitando, tum filtra.

Liquor coloris obscure ex aurantiaco fusci, odoris peculiaris Opii nec non Croci, saporis condimentarii, amari et acris, ponderis specifici 0·985—0·992.

Ne relinquat e partibus 100 minus quam partes 5 residui.

Solutio ferri sesquichlorati valde diluta, additis guttis nonnullis Tincturae colorem rubrum trahat et adiecta tum solutione diluta kalii ferricyanati statim colorem caeruleum accipiat.

Contineat in partibus 100 partem unam (1) morphini, quod determines eadem ratione, quae praescripta est tincturae Opii simplici.

Tinctura Opii simplex.

Rp: **Opii** (IV) *partes* 10

Spiritus Vini diluti *partes* 100.

Macera per 8 dies saepius agitando; tum filtra.

Liquor coloris obscure e rubro fusci, odoris et saporis Opii peculiaris, ponderis specifici 0·908—0·912.

Ne relinquat e partibus 100 minus quam partes 4·5 residui.

Solutio ferri sesquichlorati valde diluta additis guttis nonnullis Tincturae colorem rubrum trahat, qui admixta tum solutione diluta kalii ferricyanati in caeruleum vertatur.

Contineat in partibus 100 partem unam (1) morphini, quod determines subsequente ratione.

Tincturae grammata 50 evapora ope balnei aquae in patina ponderis noti ad remanentiam grammatum 20, cui post refrigerationem adde aquae *q. s.* ut pondus liquoris sit grammatum 48. Admisce versando grammata 2 ammoniae normalis et filtra statim per filtrum in rugas artatum radii centimetrorum 5. Grammata 40 liquoris filtrati tum tractentur, ut apud Opium descriptum est. Pondus morphini sub forma pulveris crystallini fere decoloris obtenti sit decigrammatum 4.

Tinctura Pomi ferrata.

Tinctura Malatis Ferri.

Rp: **Extracti Pomi ferrati** *partes* 20.

Solve in

Aquae Cinnamomi *partibus* 100.

Liquor coloris e viridi nigro-fusci, odoris cinnamomei, saporis ferruginosi, ponderis specifici circiter 1·05.

Residuum e partibus 100 ne sit minus quam partium 12·5.

Ad examinandam quantitatem ferri, contentam in Tinctura evapora grammata 5 in fictili porcellaneo ad siccitatem et candefac residuum, saepius humectando cum acido nitrico. Cinerem obtentum extrahe calefaciendo cum acido hydrochlorico et liquorem hinc enatum filtra accurate in lagenam epistomio vitreo instructam. Liquori refrigerato adde kalii iodati grammata 2 et sepone per horam. Ut iodum nunc liberum iungatur minime consumantur centimetra cubica 7 solutionis natrii thiosulfurici decinormalis, quod respondet centigrammis 78 ferri in grammis 100 Tincturae.

Tinctura Ratanhiae.

Rp: **Radicis Ratanhiae** (III) *partes* 20
Spiritus Vini diluti *partes* 100.

Liquor obscure fusco-ruber, saporis valde adstringentis, aqua dilutus addita gutta solutionis ferri sesquichlorati colorem viridem trahens, ponderis specifici circiter 0·920.

Ne relinquat e partibus 100 minus quam partes 4 residui.

Tinctura Rhei aquosa.

Rp: **Radicis Rhei** (I) *partes* 10
Natrii boracici *partes* 3.
Humecta cum
Spiritus Vini diluti *partibus* 20.
Elapsa hora sepositionis superaffunde
Aquae frigidae *partes* 80.
Sepone saepius agitando per 24 horas; tum filtra.

Liquor coloris obscure rubro-fusci, saporis et odoris radicis Rhei, ponderis specifici circiter 1·00. Addita ammonia colorem accipit intense sanguineum et supersaturatus acido hydrochlorico, sedimentum copiosum floccosum demittens colorem e fusco flavum trahit.

Ne relinquat e partibus 100 minus quam partes 5 residui.

Tinctura Rhei vinosa.

Rp: **Radicis Rhei** (I) *partes* 10
Pericarpii Aurantii (II) *partes* 2
Seminis Cardamomi (III) *partem* 1
Vini Malagensis aurei *partes* 100.
Macera per 6 dies, exprime, sepone et filtra.
In liquoris filtrati *partibus* 100
solve
Sacchari *partes* 15.

Liquor coloris obscure fusci, saporis peculiaris radicis Rhei, condimentarii et vinoso-dulcis, ponderis specifici circiter 1·150.

Partes eius 100 relinquant circiter partes 35 residui.

Tinctura Strophanthi.

Rp: **Seminis Strophanthi** (III) *partes* 10.
Para cum
Spiritus Vini diluti *s. q.*
modo tincturae Belladonnae
Tincturam *partium* 100.

Liquor coloris e viridi flavi, saporis valde amari, ponderis specifici circiter 0·896. Cum aequali pondere aquae mixtus vix turbidus evadat.

Centimetra cubica 10 Tincturae, diluta cum aequali volumine aquae et ope balnei aquae a spiritu vini liberata post filtrationem liquorem exhibeant, qui additis guttis 3—4 acidi sulfurici concentrati denuo calefactus sedimentum copiosum floccosum strophanthidini producat.

Ne relinquat Tinctura e partibus 100 minus quam partem 1 residui.

Tinctura Strychni.

Rp: **Seminis Strychni** (IV) *partes* 10.
Fiat cum
Spiritus Vini diluti *s. q.*
modo tincturae Belladonnae
Tinctura *partium* 100.

Liquor coloris dilute flavi, saporis amarissimi, ponderis specifici circiter 0·895.

Contineat in grammis 100 centigrammata viginti quinque (25) alcaloidorum propriorum, quod examines eodem modo, ut praescriptum est pro tinctura Belladonnae.

Guttae 5 Tincturae cum guttis 10 acidi sulfurici diluti in patina porcellanea ope balnei aquae evaporatae colorem violaceum exhibeant.

Tinctura Valerianae.

Rp: **Radicis Valerianae** (III) *partes* 20
Spiritus Vini diluti *partes* 100.

Liquor coloris e rubescente fusci, tractu temporis obscurioris, odoris saporisque peculiaris radicis Valerianae, ponderis specifici circiter 0·910.

Ne relinquat e partibus 100 minus quam partes 2·5 residui.

Tinctura Valerianae aetherea.

Rp: **Radicis Valerianae** (III) *partes* 20
Spiritus Aetheris *partes* 100.

Liquor coloris fusci tractu temporis obscurioris, odoris et saporis fortis radicis Valerianae et aetherei, ponderis specifici circiter 0·815.

Ne relinquat e partibus 100 minus quam partem 1 residui.

Tinctura Vanillae.

Rp: **Fructus Vanillae** (III) *partes* 10
Spiritus Vini diluti *partes* 100.

Liquor coloris obscure fusci, odoris et saporis vanillacei, ponderis specifici circiter 0·890.

Ne relinquat e partibus 100 minus quam partes 2·5 residui.

Trionalum.

Crystalli tabulaeformes vel foliaceae, odoris expertes, saporis amari, quae temperatura 76° liquescunt, incensae flamma lucida sine residuo comburunt et acidum sulfurosum emittunt.

Erga reagentia Trionalum se habeat ut Sulfonalum.

Unguenta.

Unguenta in genere ita parentur, ut substantiae difficilius liquescentes separatim aut cum parva facilius liquescentis substantiae quantitate commixtae calefiant et tum demum massae liquefactae substantiae facilius liquescentes admisceantur cavendo, ne calor plus quam necesse augeatur. Mixta adhuc calida dein per pannum linteum colentur et usque ad perfectam refrigerationem assidue agitentur.

Substantiae volatiles, ut olea aetherea, Camphora Unguento semirefrigerato admisceantur.

Pulveres Unguentis admiscendi nonnisi subtilissimi adhibeantur et antea cum exigua olei vel Unguenti liquefacti quantitate triturentur.

Substantiae solubiles antea solvantur in fluido apto, ut in aqua, spiritu vini, aethere, oleo et tum basi Unguenti aequaliter admisceantur.

Ne sint Unguenta neglegenter mixta neve odoris rancidi.

Unguentum Acidi borici.

Rp: **Acidi borici** subtilissime pulverati *partes* 10
Vaselini *partes* 90.

Misce exactissime in unguentum.

Unguentum aromaticum.

Rp: **Herbae Absinthii** (I) *partes* 100
Spiritus Vini diluti *partes* 200.

In pultem contusas calefac sub continua agitatione cum

Axungiae Porci *partibus* 700
usque ad consumtionem humidi, tum cola, exprime et adde liquando
Cerae flavae *partes* 180.
Massae semirefrigeratae intime admisce
Olei Lauri *partes* 88
Olei Lavandulae
Olei Menthae piperitae
Olei Rosmarini
Olei Iuniperi *āā partes* 8.

Unguentum coloris viridis, odoris valde aromatici.

Pars 1 Unguenti, cum spiritus vini partibus 2 calefacta liquorem praebeat, qui refrigeratus et decantatus addita ammonia colorem rubro-fuscum ne induat.

Unguentum Glycerini.

Rp: **Glycerini** *partes* 100.
Calefac in patina porcellanea ad temperaturam circiter 110° et adde miscellam exacte paratam ex
Amyli Tritici *partibus* 10
Aquae *partibus* 20.

Sub continua agitatione redige massam in gelatinam aequabilem pellucidam.

Unguentum Hydrargyri.

Rp: **Hydrargyri** *partes* 30
Adipis Lanae *partes* 15.
Assidue triturando extingue hydrargyrum, ut globuli metallici sub lente non amplius appareant. Dein sensim

et intime admisce massam liquatam et semirefrigeratam e

Sebi ovilis	*partibus*	18
Axungiae Porci	*partibus*	37.

Unguentum Hydrargyri sit coloris cinerei; ne appareant in eius massa sub lente globuli metallici Hydrargyri.

Partes 10 Unguenti, ope aetheris a pinguedine liberatae partes 3 Hydrargyri relinquant.

Unguentum Iuniperi.

Rp: **Herbae Absinthii** (I)	*partes*	100
Spiritus Vini diluti	*partes*	200.

In pultem contusas sub continua agitatione calefac cum

Axungiae Porci	*partibus*	750

usque spiritus vini disparuerit.

Tum cola, exprime et adde liquando

Cerae flavae	*partes*	180.

Massae semirefrigeratae admisce

Olei Iuniperi	*partes*	70.

Unguentum coloris laete viridis, odorem spargens olei aetherei Iuniperi. Examinetur ut unguentum aromaticum.

Unguentum Kalii iodati.

Rp: **Kalii iodati**	*partes*	20
Natrii thiosulfurici	*partis*	0.25.

Solve triturando in

Aquae	*partibus*	15.

Solutionem intime admisce

Unguenti simplicis *partibus* 165.

Unguentum Kalii iodati sit album. Paretur ex tempore.

Quodsi unguentum Kalii iodati cum iodo puro praescriptum fuerit, paretur omisso natrio thiosulfurico.

Unguentum leniens.

Unguentum emolliens.

Rp:	**Cerae albae**	*partes*	8
	Cetacei	*partes*	15
	Olei Sesami	*partes*	62.

Liquefactis et semirefrigeratis admisce sensim sensimque assidue terendo

Aquae *partes* 15.

Huius unguenti *partibus* 100

adde

Olei Rosae *guttas* 2.

Unguentum Naphtoli compositum.

Rp:	**β Naphtoli**	*partes*	10
	Calcii carbonici	*partes*	5
	Saponis kalini	*partes*	28
	Axungiae Porci	*partes*	57.

Intime misce in unguentum.

Paretur ex tempore.

Unguentum Plumbi acetici.

Rp: **Plumbi acetici** *partem* 1.

Solve in

Aquae *partibus* 9.

Misce exactissime cum

Adipis Lanae		
Vaselini	$\overline{aa}$ *partibus*	45.

Fiat unguentum.

Unguentum Plumbi carbonici.

Unguentum Cerussae.

Rp: **Emplastri Plumbi simplicis**	*partes*	20
Vaselini	*partes*	50.

Liquefactas commisce intime cum

Plumbi carbonici (VI)	*partibus*	30

in unguentum.

Unguentum Plumbi oxydati.

Unguentum Diachylon.

Rp: **Plumbi oxydati** (VI)	*partes*	20
Olei Sesami		
Axungiae Porci	$\overline{aa}$ *partes*	40.

Coque sub continua agitatione igne moderato, subinde pauxillum aquae inspergendo, usque plumbum oxydatum penitus saponificatum et aqua evaporata erit.

Quodsi Unguentum secundum praescriptionem *Dr. Hebra* exposcatur

Unguenti Plumbi oxydati	*partibus*	100
Olei Lavandulae	*partes*	2

admisceantur.

Unguentum Sabadillae.

Rp:	**Seminis Sabadillae** (VI)	*partes*	20
	Vaselini	*partes*	79
	Olei Citri	*partem*	1.

Misce exactissime in unguentum.

Unguentum simplex.

Rp:	**Cerae albae**	*partes*	20
	Axungiae Porci	*partes*	80.

Colliquefactae et colatae sub continua agitatione refrigescant in unguentum.

Unguentum sulfuratum.

Rp:	**Saponis kalini**	*partes*	32
	Axungiae Porci		
	Sebi ovilis	*aa partes*	16.

Leni calore liquatis et colatis sensim admisce, per cribrum traiciendo miscellam e

Sulfuris depurati	*partibus*	16
Calcii carbonici	*partibus*	4.

Sub finem adde

Picis liquidae	*partes*	16.

Fiat unguentum.

Unguentum Zinci oxydati.

Rp:	**Axungiae Porci**	*partes*	63
	Resinae Benzoë	*partes*	3.

Digere per 2 horas in balneo aquae, cola et adde liquando

Cerae albae	*partes*	15.

Massae semirefrigeratae admisce exactissime miscellam trituratione subtilissima paratam e

Zinci oxydati (VI)	*partibus*	15
Olei Sesami	*partibus*	7.

Vaselinum.

Massa unguinosa flava pellucida, odoris expers, calore 41°—45° liquescit, 41°—43° solidescit, in aqua insolubilis, difficillime in spiritu vini, facile in aethere et chloroformio solvitur.

Vaselinum liquefactum cum duplo volumine spiritus vini fervidi conquassatum huic reactionem acidam ne tribuat. Grammata 2 solutionis argenti nitrici ammoniacalis cum aequali pondere Vaselini liquati conquassata ne fuscescant.

Quodsi grammata 10 Vaselini liquefacti cum guttis 10 solutionis kalii hypermanganici (1 = 1000) recenter paratae saepius agitando in balneo aquae per 15 minuta calefeceris, color rubro-violaceus solutionis persistat.

Quodsi grammata 10 Vaselini liquefacti cum centimetris cubicis 2·5 miscellae e partibus 5 aquae et partibus 15 acidi sulfurici concentrati paratae saepius agitando in balneo aquae per 15 minuta calefeceris, ne Vaselinum neve acidum sulfuricum fuscescat.

Numerus saponificationis sit 0.

Gramma Vaselini ignitum residuum ponderabile ne relinquat.

Veratrinum.

Massa pulverulenta levis alba, saporis admodum acris, inodora quidem, sed sternutationem vehementissi-

mam excitans, reactionis alcalinae; calore ad massam resinae similem liquescit; solvitur facile in spiritu vini et in chloroformio, difficilius in aethere, vix in aqua. Cum acido hydrochlorico diluto vel acido sulfurico diluto solutionem saporis amari et acris praebet.

Veratrinum acido sulfurico concentrato contritum liquorem praebet flavum, qui colore viridi fluorescit et sensim colorem intense rubrum trahit.

Acido hydrochlorico concentrato ad ebullitionem calefacta solutionem rubram reddit.

Ignitum nihil fere residui relinquat.

Vinum.

Liquor fermentatione vinosa e succo baccarum Vitis obtentus.

Ad usum medicum et pharmaceuticum adhibeatur solum vinum generosum bonae notae, optime fermentatum et depositum, limpidum, purissimum, immune materiis alienis nec non quovis organismo et producto fermentationis alterius nisi vinosae; speciatim ne contineat acidum sulfurosum, pigmenta aliena neque glycerini plus, quam fermentatione ipsa ortum fuerit.

Vinum album.

Liquor limpidus flavidus aut flavus, odoris et saporis peculiaris suavis.

Contineat in 100 partibus voluminis 8—10 partes alcoholis. In litra ne contineat plus acidi sulfurici quam respondet grammati kalii sulfurici. Litra Vini minime extracti grammata 14, acidi (tartarici) maxime grammata 7, sacchari maxime grammata 2 prodat.

Vinum Chinae.

Rp: **Gelatinae animalis albae** *partem* 1.
Solve in
Aquae fervidae *partibus* 20.
Solutioni admisce
Vini Malagensis aurei *partes* 780.
Sepone per horas 24, tum adde
Extracti Chinae fluidi
Tincturae Aurantii *aa partes* 50
Mellis depurati *partes* 100.
Sepone per minime 14 dies in loco frigido; tum filtra.

Liquor limpidus clare fuscus, saporis suaviter vinosi et amaricantis, acido hydrochlorico acidulatus addita solutione hydrargyri bichlorati corrosivi cum kalio iodato sedimentum copiosum demittens.

Servetura luce remotus in lagenis perfecte impletis et bene obturatis.

Vinum Chinae ferratum.

Rp: **Gelatinae animalis albae** *partem* 1.
Solve in
Aquae fervidae *partibus* 20.
Adde
Vini Malagensis aurei *partes* 955.
Sepone per 24 horas, tum adde
Ferri citrici chiniati *partes* 5
solutas in
Aquae *partibus* 20.
Sepone per minime 14 dies saepius agitando in loco frigido; tum filtra.

Liquor limpidus fuscus, saporis amari et acerbi. Servetura luce remotus in lagenis perfecte impletis.

Vinum Condurango.

Rp:	**Extracti Condurango fluidi**	*partes*	10
	Vini Malagensis aurei	*partes*	90.

Sepone saepius agitando per 8 dies; tum filtra.

Liquor limpidus flavo-fuscus, saporis dulcis et amariusculi, odoris debilis corticis Condurango.

Vinum Malagense aureum.

Vinum Hispanicum in mercatura sub nomine „Lacryma Christi“ notum coloris fusco-flavi, saporis suaviter dulcis.

Contineat in 100 partibus voluminis partes 15—20 alcoholis et in litra sacchari grammata 120—190, extracti grammata 30—35 (subtracta quantitate sacchari) neque plus acidi sulfurici, quam respondet grammis 2 kalii sulfurici.

Vinum Pepsini.

Rp:	**Gelatinae animalis albae**	*partem*	1.
	Solve in		
	Aquae fervidae	*partibus*	20.
	Admisce		
	Vini albi	*partes*	752
	Spiritus Vini Cognac	*partes*	100.

Sepone per 24 horas; tum adde solutionem triturando paratam e

Pepsini	*partibus*	25
Syrupi simplicis	*partibus*	100
Acidi hydrochlorici diluti	*partibus*	3.

Sepone saepius agitando per 8 dies tum filtra.

Liquor limpidus, coloris clare flavi.

Vinum Rhamni Purshiani.

Rp:	**Extracti Rhamni Purshiani fluidi**	*partes*	20
	Vini Malagensis aurei	*partes*	30
	Syrupi Aurantii	*partes*	10.

Misce, sepone per 8 dies tum filtra.

Liquor limpidus fuscus, saporis dulcis cum aliqua amaritate.

Vinum rubrum.

Liquor limpidus obscure ruber, odoris et saporis peculiaris suavis, modice adstringentis.

Contineat in 100 partibus voluminis 8—12 partes alcoholis. Ne contineat acidi sulfurici plus quam respondet in litra grammati kalii sulfurici. Quantitas extracti in litra sit minime grammatum 18, sacchari maxime grammatum 5, acidi (tartarici) maxime grammatum 7.

Vinum Stibii Kalio-tartarici.

Vinum stibiatum.

Rp:	**Stibii Kalio-tartarici**	*partes*	4.
	Solve in		
	Vini Malagensis aurei	*partibus*	996.

Liquor limpidus, coloris rubicundo-fusci. Centimetra cubica 2 Vini, acido hydrochlorico acidulata, addita aqua hydrosulfurata sedimentum copiosum coloris aurantiaci producant.

Zincum chloratum.

Pulvis crystallinus albus, aëre humido diffluens, in aqua et spiritu vini facile solubilis. Solutio aquosa reactionis acidae, addito ammonio sulfurato praecipitatum album demittit; argentum nitricum nec non ammonia itidem praecipitata alba efficiunt, quorum utrumque in ammonia abundante perfecte solvitur.

Solutio aquosa (1=2) sit limpida aut parum lactescens; praecipitatum album in eadem addito triplo volumine spiritus vini enatum gutta acidi hydrochlorici solvatur.

Solutio aquosa (1=10), addito acido hydrochlorico nec aqua hydrosulfurata, nec kalio ferricyanato coloretur, nec baryo nitrico turbetur, eadem ammonia abundante addita limpida maneat et hydrogenio sulfurato in excessu addito, sedimento mere albo deposito, filtratione liquorem praebeat, qui ad siccum evaporatus et ignitus residuum ponderabile ne relinquat.

Zincum oxydatum.

Pulvis albus subtilis, durante ignitione flavus, in aqua insolubilis, in acido acetico diluto solubilis.

Zincum oxydatum in partibus 10 acidi acetici diluti sine effervescentia solvatur; solutio obtenta addita ammonia superabundante limpida maneat neque ammo-

nio oxalico aut natrio phosphorico turbetur; aqua hydrosulfurata sedimentum pure album edat.

Miscella e grammate Zinci oxydati et centimetris cubicis 3 solutionis stanni chlorati intra horam ne fuscescat.

Grammata 2 Zinci oxydati cum centimetris cubicis 20 aquae quassata liquorem praebeant, qui filtratus et evaporatus residuum ponderabile ne relinquat.

Zincum sulfocarbolicum.

Crystalli tabulaeformes decolores, in aëre fatiscentes, in partibus 2 aquae, in partibus 2·6 spiritus vini solubiles.

Solutio aquosa (1=10), reactionis leniter acidae addito ferro sesquichlorato soluto colorem violaceum induit, addito ammonio sulfurato praecipitatum album edit.

Eadem, acido hydrochlorico acidulata nec aqua hydrosulfurata, nec acido sulfurico turbetur, baryo nitrico ad summum opalescat; addita ammonia praecipitatum album, in excedente ammonia solubile edat; solutio obtenta nec ammonio oxalico turbetur, nec guttis nonnullis aquae hydrosulfuratae fuscescat.

Solutio grammatis Zinci sulfocarbolici sufficiente quantitate ammonii sulfurati praecipitata et dein filtrata evaporando residuum album relinquat, quod ignitum plane aufugiat.

Gramma Zinci sulfocarbolici ignitum milligrammata 151 zinci oxydati relinquat.

Zincum sulfuricum.

Crystalli prismaticae decolores, aëri sicco expositae lente fatiscentes, in partibus 0·6 aquae solubiles, in spiritu vini insolubiles. Solutio aquosa, reactionis acidae, addito baryo nitrico praecipitatum album in acidis insolubile demittit; natrium hydrooxydatum solutum praecipitatum album, in excedente reagente solubile efficit; ex hac solutione aqua hydrosulfurata zincum sulfuratum coloris albi deponitur.

Solutio aquosa (1=20) sit decolor; nec argento nitrico, nec acido sulfurico acidulata, aqua hydrosulfurata turbetur, nec abundante ammonia praecipitatum deponat. Superaddito ammonio sulfurato liquorem praebeat, qui a sedimento filtratus evaporatione et ignitione residuum ponderabile ne relinquat.

Quodsi centimetra cubica 2 solutionis aquosae cum aequali volumine solutionis ferri sulfurici mixta et dein caute superinfusa fuerint acido sulfurico concentrato, eo plano, quo inter se liquores contingunt, zona fusca ne adpareat.

Zincum sulfuricum cum natrio hydrooxydato soluto calefactum ammoniam ne exhalet.

Grammata 2 Zinci sulfurici centimetris cubicis 10 spiritus vini saepius conquassata elapsis 10 minutis filtratum praebeant, quod chartam exploratoriam caeruleam non mutat.

Elenchus

formularum medicaminum compositorum, quae medici saepius praescribere solent aut quae in usum publicum in officinis praesto habere vel ex tempore dispensare pharmacopolis conceditur.

Aqua carminativa regia.

Rp: Aquae carminativae *partes* 60
Spiritus aromatici *partes* 20
Syrupi Coccionellae *partes* 5
Syrupi simplicis *partes* 15.
Misce et filtra.

Collodium salicylatum.

Rp: Acidi salicylici *partes* 10.
Solve in
Collodii *partibus* 90
Chlorophylli solutione *s. q.*
tinctis

Decoctum Sarsaparillae compositum fortius.

Rp: Radicis Sarsaparillae concisae *partes* 4.
Digere per 24 horas cum
Aquae *s. q.*

Tum coque per horam. Sub finem coctionis adde

Fructus Anisi vulgaris		
Fructus Foeniculi	$\overline{aa}$ *partis*	0·15
Foliorum Sennae	*partem*	1
Radicis Liquiritiae concisae	*partis*	0·5.

Cola et fortiter exprime.

Colatura sit	*partium*	100.

Decoctum Sarsaparillae compositum mitius.

Rp: **Radicis Sarsaparillae concisae**	*partes*	2.

Coque cum

Aquae		*s. q.*

per horam. Sub finem coctionis adde

Pericarpii Citri concisi		
Seminis Cardamomi contusi		
Corticis Cinnamomi contusi		
Radicis Liquiritiae concisae	$\overline{aa}$ *partis*	0·1.

Cola et exprime.

Colatura sit	*partium*	100.

Emplastrum ad clavos.

Rp: **Acidi salicylici**	*partes*	10
Emplastri Plumbi compositi	*partes*	40
Emplastri saponati	*partes*	50.

Misce; fiat lege artis Emplastrum.

Emplastrum ad rupturas.

Rp:	**Resinae Colophonii**	*partes*	40
	Cerae flavae		
	Emplastri Plumbi simplicis	*āā partes*	12.
	Leni calore liquatis admisce		
	Resinae Draconis	*partes*	3
	solutas in		
	Balsami Terebinthinae	*partibus*	18.
	Adde		
	Ferri oxydati rubri (VI)	*partes*	15.
	Misce; fiat lege artis Emplastrum.		

Emplastrum domesticum.

Rp:	**Emplastri Plumbi simplicis adusti**	*partes*	90
	Camphorae		
	Olei Olivae	*āā partes*	4
	Balsami Peruviani	*partes*	2.
	Misce; fiat lege artis Emplastrum.		

Globuli camphorati.

Rp:	**Ammonii chlorati**	*partes*	2
	Aluminis		
	Camphorae tritae	*āā partes*	4
	Plumbi carbonici	*partes*	30
	Calcii carbonici	*partes*	60
	Aquae		*q. s.*
	ut fiat massa, e qua formentur Globuli ponderis	*grammatum*	25.

Lanolimentum leniens.

Rp: **Adipis Lanae**
Vaselini *āa partes* 50
Aquae Aurantii florum
Aquae Rosae *āa partes* 25
Mixturae odoriferae *q. s.*
Misce.

Linimentum Calcis.

Rp: **Aquae Calcis**
Olei Lini *āa partes aequales.*
Misce, fiat Linimentum.

Linimentum chloroformiatum.

Rp: **Chloroformii**
Mixturae oleoso-balsamicae
Spiritus Aetheris
Spiritus camphorati
Spiritus Saponis kalini *āa partes aequales.*
Misce.

Linimentum saponato-camphoratum cum Kalio iodato.

Rp: **Saponis stearinici**
Saponis Veneti *āa partes* 75.

Solve leni calore in

Spiritus Vini	*partibus*	600
Aquae	*partibus*	98
Glycerini	*partibus*	50.

Adde

Kalii iodati	*partes*	100
Olei Lavandulae	*partes*	2.

Misce et filtra.

Linimentum saponato-camphoratum cum Opio.

Rp: Linimenti saponato-camphorati omissa ammonia *partes* 90

Tincturae Opii crocatae	*partes*	10.

Misce.

Mel boraxatum.

Rp: Natrii boracici	*partes*	5.

Solve in

Mellis rosati	*partibus*	95.

Mel rosatum.

Rp: Acidi tannici	*gramma*	1.

Solve in

Mellis depurati	*grammis*	999.

Adde

Olei Rosae	*guttas*	2.

Misce.

Mixtura pro potu acido.

Rp: **Liquoris acidi Halleri** *partes* 5
Syrupi Rubi Idaei *partes* 95.
Misce et signa: usui aqua diluenda.

Pasta gummosa.

Rp: **Gummi Acaciae** (V)
Sacchari (V) *aa grammata* 50
Aquae *q. s.*

Solutionem evapora ad consistentiam pastae, sub finem addendo albumen ovi unius in spumam conquassatum.

Sub continua agitatione evapora, donec massae aliquantulum exemtum nec e spatula lignea defluat nec manibus adhaereat. Tum adde

Aquae Aurantii florum *grammata* 5.

Massam effunde super tabulam ligneam amylo conspersam.

Pasta Liquiritiae flava.

Rp: **Pastae gummosae recenter paratae** *partes* 94
Extracti Liquiritiae *partes* 5
Elaeosacchari Vanillae *partem* 1.
Misce, fiat Pasta in tabulas scissa servanda.

Pasta Liquiritiae pellucida.

Rp: **Radicis Liquiritiae mundatae** (II) *partes* 5.
Infunde cum
Aquae *partibus* 30.

In colatura solve

Gummi Acaciae	*partes*	100
Sacchari	*partes*	80.

Solutionem iterum colatam evapora leni calore ad dimidium. Spuma accurate remota simul cum pellicula supranatante massae adde

Aquae Aurantii florum	*partes*	5

et effunde eam in capsulas chartaceas.

Pastam siccatam in tabulas scissam serva.

Pasta Zinci cum acido salicylico.

Pasta Zinci salicylata.

Rp: **Pastae Zinci cum amylo**	*partes*	98
Acidi salicylici	*partes*	2.

Misce exactissime.

Pasta Zinci cum amylo.

Rp: **Zinci oxydati**		
Amyli Tritici	*āā partem*	1
Vaselini	*partes*	2.

Misce in pastam legitimam.

Pastilli extracti Cascarae sagradae.

Rp: **Extracti Rhamni Purshiani sicci**	*grammata*	5.

Fiant lege artis Pastilli Nr. 10 obducendi pasta cacaotina.

Pastilli Nitroglycerini.

Rp: Solutionis Nitroglycerini spirituosae (1 = 100)
grammata 5
Sacchari in pulvere *grammata* 5
Seminis Cacao tosti (VI) *grammata* 10.
Misce exactissime in pastam, e qua forma evaporato spiritu vini
Pastillos Nr. 100, singuli continentes
Nitroglycerini *milligramma semis* (0·0005).

Pastilli Tamarindorum compositi.

Rp: Pulpae Tamarindi depuratae *partes* 5
Foliorum Sennae (VI) *partem* 1·5
Sacchari *partes* 2·5
Amyli Tritici *partis* 0·5.
Misce, fiat ope balnei aquae massa, e qua formentur
Pastilli ponderis *grammatum* 2·5
obducendi pasta cacaotina.

Pilulae odontalgicae.

Rp: Mentholi
Radicis Pyrethri (VI)
Resinae Guaiaci (VI) *$\overline{aa}$ grammata* 2
Cerae flavae liquatae *grammata* 4
Eugenoli
Olei Caiuputi *$\overline{aa}$ guttas* 10.
Misce fiat massa, e qua formentur
Pilulae singulae ponderis centigrammatum 3 conspergendae pulvere florum Caryophylli.

Potio Riveri.

Rp: **Kalii carbonici** *partes* 4.
Solve in
Aquae *partibus* 80.
Adde
Acidi citrici *partes* 3·3.
Acido carbonico effuso admisce
Syrupi simplicis *partes* 15.

Pulvis adspersorius cum Bismutho subgallico.

Rp: **Bismuthi subgallici** *partes* 20
Talci *partes* 80.
Misce in pulverem aequabilem.

Pulvis adspersorius salicylatus.

Rp: **Acidi salicylici** *partes* 2
Radicis Iridis (VI) *partes* 10
Zinci oxydati *partes* 20
Amyli Tritici *partes* 28
Talci *partes* 40.
Misce in pulverem aequabilem.

Pulvis digestivus.

Rp: **Salis thermarum Carolinarum in pulvere** *partem* 1
Natrii hydrocarbonici *partes* 3
Elaeosacchari Menthae piperitae *partem* 1.
Misce in pulverem aequabilem.

Pulvis Guaranae compositus.

Rp:		
Guaranae (VI)	*decigrammata*	5
Natrii salicylici	*decigrammata*	3
Chinini bisulfurici	*decigrammata*	2.

Misce, fiat pulvis. Dispensa in capsulis amylaceis.

Pulvis Magnesiae cum Rheo.

Rp:		
Magnesii carbonici	*partes*	4
Radicis Rhei (VI)	*partes*	2
Elaeosacchari Foeniculi	*partes*	4.

Misce in pulverem aequabilem.

Pulvis pectoralis.

Rp:		
Extracti Dulcamarae	*partes*	2
Amyli Tritici		
Radicis Liquiritiae (VI)	$\overline{aa}$ *partes*	10
Gummi Acaciae (VI)		
Extracti Liquiritiae venalis depurati	$\overline{aa}$ *partes*	20
Sacchari	*partes*	38.

Misce exactissime in pulverem.

Pulvis sternutatorius viridis.

Rp:		
Saponis medicinalis (VI)		
Radicis Iridis (VI)	$\overline{aa}$ *partes*	10
Florum Lavandulae (V)		

Foliorum Salviae (V)
Herbae Maioranae (V)
Herbae Meliloti (V) *āā partes* 20.
Misce exactissime in pulverem.

Rotulae Menthae piperitae.

Rp: **Rotularum Sacchari** *partes* 95.
Humecta cum
Olei Menthae piperitae *parte* 1·5
soluta in
Alcoholis absoluti *partibus* 3·5
in vase idoneo agitando.
Serva in vase bene obturato.

Species carminativae.

Rp: **Florum Chamomillae vulgaris**
Fructus Foeniculi *āā partes* 10
Radicis Althaeae
Radicis Graminis
Radicis Liquiritiae *āā partes* 20.
C. C. Misce.

Species puerperales.

Rp: **Florum Verbasci**
Seminis Melonum *āā partes* 10
Radicis Graminis
Radicis Liquiritiae *āā partes* 20
Specierum Althaeae *partes* 40.
C. C. Misce.

Species stomachicae.

Rp:	Corticis Cinnamomi		
	Foliorum Menthae piperitae	$\overline{aa}$ *partem*	1
	Herbae Centaurii minoris	*partes*	2.

C. Misce.

Syrupus Coccionellae.

Rp:	Coccionellarum (V)	*partes*	10
	Kalii carbonici puri	*partem*	1
	Aquae Rosae		
	Aquae Cinnamomi	$\overline{aa}$ *partes*	150.

Digere per 4 horas, tum filtra.

In colatura	*partium*	100

solve

Sacchari	*partes*	160
Aluminis	*partis*	0·1.

Solutionem coque in Syrupum, quam cola.

Syrupus Guaiacoli compositus.

Rp:	Kalii sulfoguaiacolici	*partes*	10.

Solve in

Aquae	*partibus*	40

et adde

Syrupi Aurantii pericarpii	*partes*	100.

Syrupus hypophosphorosus compositus.

Rp:	Mangani hypophosphorosi		
	Ferri hypophosphorosi	$\overline{aa}$ *partes*	2·25
	Kalii citrici	*partes*	5
	Acidi citrici	*partes*	2.
	Solve in		
	Aquae	*partibus*	60.
	Adde		
	Calcii hypophosphorosi	*partes*	35
	Kalii hypophosphorosi		
	Natrii hypophosphorosi	$\overline{aa}$ *partes*	17·5
	Chinini hydrochlorici	*partem*	1·12
	solutas in		
	Aquae	*partibus*	300.
	Solutioni admisce		
	Sacchari	*partes*	775
	Tincturae Strychni	*partes*	15
	et tantum		
	Aquae		
	ut quantitas liquoris totalis sit	*partium*	1300.

Syrupus pectoralis.

Rp:	Aquae Laurocerasi dilutae	*partes*	5
	Mucilaginis Gummi Acaciae		
	Syrupi Coccionellae		
	Syrupi Senegae	$\overline{aa}$ *partes*	20
	Syrupi Aurantii florum	*partes*	35.
	Misce.		

Syrupus Plantaginis.

Rp: **Foliorum Plantaginis** (I)		
Spiritus Vini	$\overline{aa}$ *partes*	10
Aquae fervidae	*partes*	90.

Digere per horam, exprime et filtra.

In filtrati	*partibus*	10

solve ebulliendo

Sacchari	*partes*	16

et cola.

Syrupus Thymi compositus.

Rp: **Extracti Thymi fluidi**	*partes*	10
Mellis depurati	*partes*	20
Syrupi simplicis	*partes*	70.

Misce et cola.

Tabulae Liquiritiae cum Ammonio chlorato.

Rp: **Gummi Acaciae**		
Sacchari		
Extracti Liquiritiae venalis depurati	$\overline{aa}$ *partes*	100
Aquae		*q. s.*

Evapora solutionem ad consistentiam pastae legitimae, cui admisce

Ammonii chlorati	*partes*	20.

Pastam siccatam scinde in tabulas conspergendas Elaeosaccharo Anisi stellati.

Tinctura Caiuputi composita.

Rp:	Anetholi		
	Olei Caiuputi		
	Olei Iuniperi	*āā partes*	8
	Liquoris acidi Halleri	*partes*	2
	Spiritus Aetheris	*partes*	34
	Tincturae Cinnamomi	*partes*	40.

Misce.

Tinctura gingivalis.

Rp:	Fructus Anisi stellati (IV)		
	Florum Caryophylli (IV)		
	Corticis Cinnamomi (IV)		
	Radicis Ratanhiae (IV)	*āā partes*	25
	Coccionellarum (IV)		
	Resinae Guaiaci (IV)	*āā partes*	10
	Spiritus Vini	*partes*	1000.

Digere per 8 dies, exprime, filtra et filtrato adde

Thymoli	*partem*	1
Chloroformii	*partes*	5
Anetholi	*partes*	2
Olei Menthae piperitae	*partes*	10.

Misce.

Tinctura odontalgica.

Rp:	Mentholi		
	Eugenoli	*āā partes*	5
	Chloroformii		
	Aetheris	*āā partes*	20
	Tincturae Guaiaci	*partes*	50.

Misce.

Tinctura Rusci aetherea.

Rp:	Olei Lavandulae		
	Olei Rosmarini	*āā partem*	1
	Olei Betulae empyreumatici	*partes*	26
	Aetheris		
	Spiritus Vini	*āā partes*	36.

Misce.

Tinctura stomachica.

Tinctura Aurantii composita.

Rp:	Pericarpii Aurantii	*partes*	20
	Corticis Cinnamomi	*partes*	4
	Vini Malagensis aurei	*partes*	100.

Digere per 8 dies, exprime et cola.
In colatura solve

Extracti Centaurii minoris		
Extracti Gentianae		
Extracti Trifolii fibrini	*āā partes*	2
Kalii carbonici puri	*partem*	1.

Sepone per 8 dies, tum filtra.

Traumaticinum.

Rp:	Guttaperchae depuratae albae	*partes*	10
	Chloroformii	*partes*	80
	Natrii sulfurici sicci	*partes*	10.

Digere usque ad Guttaperchae perfectam solutionem, tum filtra per gossypium.

Unguentum ad perniones.

Rp:	Adipis Lanae	*partes*	60
	Olei camphorati	*partes*	10
	Balsami Peruviani	*partes*	15
	Tincturae Opii crocatae		
	Plumbi acetici basici soluti		
	Petrolei	*āā partes*	5.

Misce.

Unguentum basilicum.

Rp:	Cerae flavae	*partes*	16
	Olei Olivae	*partes*	36
	Resinae Colophonii		
	Sebi ovilis		
	Balsami Terebinthinae		
	Picis navalis	*āā partes*	12.

Leni calore liquatas et colatas misce.

Unguentum Hydrargyri mitius.

Rp:	Unguenti Hydrargyri	*partem*	1
	Unguenti simplicis	*partes*	2.

Misce exactissime.

Unguentum Plumbi tannici.

Unguentum ad decubitum.

Rp:	Acidi tannici	*partem*	1
	Plumbi acetici basici soluti	*partes*	2.

Misce terendo exactissime, tum admisce

	Unguenti simplicis	*partes*	17.

Misce, fiat Unguentum.

Materiae ad usum antisepticum.

A. Tela hydrophila. Gaze hydrophilum.

Tela gossypina alba latitudinis centimetrorum 80—82, in centimetro quadrati continens fila longitudinalia 10, fila transversalia 10—11, ponderis pro metro longitudinis grammatum 24—26.

Tela hydrophila sit apricatione candefacta, liberata a pinguedine, sterilefacta et se habeat erga reagentia ut gossypium depuratum.

B. Materiae ad usum antisepticum medicamentosae.

Ad parandas materias destinatas ad usum antisepticum medicaminibus farctas nonnisi gossypium depuratum aut gaze hydrophilum officinale adhibenda sunt.

Quantitas medicaminis in partibus centesimis sit evidenter notata in involucro materiae simul ac pondus absolutum substantiae activae contentum in metro longitudinis telae.

Rationem partium centesimarum substantiae activae ineas in relatione ad pondus telae aut gossypii a medicamine plane liberatis, aqua nec non spiritu vini optime elutis et temperatura 100° siccatis. Examinatione statuantur minime partes centesimae 90 medicamenti praescripti.

1. Gossypium carbolisatum et Tela hydrophila carbolisata.

Contineant partes centesimas duas (2) acidi carbolici.

Ad statuendam quantitatem acidi carbolici extrahe gossypii grammata 5—6 aut telae quadrantem metri longitudinis in olla vitrea idonea superaffundendo mixtionem e centimetris cubicis 5 natrii hydrooxydati soluti et centimetris cubicis 245 aquae et subigendo diu probam materiae ope bacilli vitrei.

Centimetra cubica 25 liquoris obtenti importa in lagenam epistomio vitreo munitam voluminis centimetrorum cubicorum 300 unacum mixtura ex āā centimetris cubicis 50 solutionis kalii bromici volumetricae et solutionis kalii bromati volumetricae nec non centimetris cubicis 5 acidi sulfurici concentrati. Sepone per quadrantem horae. Tum admisce liquori flavo aut fuscescenti gramma kalii iodati et titra iodum liberum cum solutione natrii thiosulfurici decinormali.

Numerum centimetrorum cubicorum solutionis natrii thiosulfurici consumptorum detrahe a numero 30 et numerum restantem multiplica cum 0·00156.

Summa obtenta, multiplicata cum 10 indicat quantitatem absolutam acidi carbolici contentam in tela aut in gossypio investigato.

2. Gossypium et Tela hydrophila cum Bismutho subgallico.

Contineant partes centesimas viginti (20) Bismuthi subgallici.

Ad statuendam quantitatem bismuthi subgallici extrahe grammata 5—6 gossypii aut quadrantem metri longitudinis telae in olla vitrea superaffundendo centimetra cubica 190 aquae et centimetra cubica 10 solutionis natrii hydrooxydati normalis et subigendo diu ope bacilli vitrei. Centimetra cubica 100 liquoris obtenti importa in ollam vitream unacum centimetris cubicis 5 acidi hydrochlorici normalis.

Sedimentum enatum collige in filtro, elue pauxillo aquae et sicca.

Sedimenti siccati quantitas bismuthi oxydati tum examinetur eodem modo, qui pro bismutho subgallico praescriptus est.

Pondus inventum bismuthi oxydati bis sumptum et cum 1·88 multiplicatum indicat quantitatem absolutam bismuthi subgallici contentam in tela aut in gossypio examinato.

3. Gossypium iodoformiatum et Tela hydrophila iodoformiata.

Contineant partes centesimas decem, viginti aut triginta (10, 20 aut 30) iodoformii.

Ad statuendam quantitatem iodoformii contentam in his materiis extrahe grammata 5—6 gossypii iodoformiati aut quadrantem metri longitudinis telae iodoformiatae in lagena collo amplo et epistomio vitreo instructa cum centimetris cubicis 150 spiritus aetheris. Sepone saepius agitando per 1—2 horas.

Centimetra cubica 50 solutionis importa in cucurbitam, adde centimetra cubica 50 solutionis argenti nitrici decinormalis et centimetra cubica 5 acidi nitrici

diluti et calefac ad ebulitionem per 20 minuta in balneo aquae adhibens apparatum refrigeratorium.

Plane refrigerato liquori adde guttas 20 solutionis ferri sulfurici oxydati ammoniati et titra cum solutione ammonii rhodanati decinormali usque ad colorationem subrubram mixturae.

Numerum centimetrorum cubicorum solutionis ammonii rhodanati consumptorum detrahe a numero 50 et numerum restantem multiplica cum 0·0131. Summa hinc enata, ter sumpta, indicat pondus absolutum iodoformii contentum in materia examinata.

4. Gossypium salicylatum et Tela hydrophila salicylata.

Contineant partes centesimas tres (3) acidi salicylici.

Ad statuendam quantitatem acidi salicylici extrahe gossypii grammata 5—10 vel telae quadrantem metri longitudinis in olla vitrea apta superaffundendo centimetra cubica 200 spiritus vini et subigendo probam diu ope bacilli vitrei.

Centimetra cubica 100 liquoris spirituosi obtenti dilue cum aqua et titra cum solutione natrii hydrooxydati decinormali, solutionem laccae musci adhibens indicatorem.

Unumquodque centimetrum cubicum solutionis natrii hydrooxydati decinormalis consumptum respondet 0·0138 gr. acidi salicylici. Numerus repertus bis sumptus indicat quantitatem absolutam acidi salicylici contentam in gossypio aut in tela examinata.

Apparatus Reagentium.

A. Reagentia.

Ad medicaminum identitatem, qualitatem seu quantitatem explorandam in pharmacopoliis praesto sint infra enumerata reagentia incorruptae integritatis, quae in vitris epistomio vitreo obturatis collocanda sunt. Reagentia crebro adhibita ad manus soluta habeantur;

Acidum aceticum concentratum.
Acidum aceticum dilutum.
Acidum carbolicum solutum (1 = 20).
Acidum chromicum.
Acidum hydrochloricum concentratum.
Acidum hydrochloricum dilutum.
Acidum iodicum.
Acidum nitricum.
Acidum nitricum dilutum (1 = 2).
Acidum nitricum fumans.
Acidum oxalicum.
Acidum picrinicum.
Acidum sulfuricum concentratum.
Acidum sulfuricum dilutum.
Acidum sulfurosum.
Acidum tannicum solutum (Acidi tannici 1, Spiritus Vini 5, Aquae 14).

Acidum tartaricum.

Aether.

Aether aceticus.

Aether Petrolei.

Alcohol absolutus.

Alcohol amylicus pond. spec. 0·814, ebull. 130° usque ad 131°.

Ammonia.

Ammoniae solutio normalis (Ammoniae 17, Aquae 83).

Ammonium carbonicum solutum (Ammonii carbonici, Ammoniae $\overline{aa}$ 1, Aquae 3).

Ammonium chloratum solutum (1 = 10).

Ammonium molybdaenicum.

Ammonium oxalicum solutum (1 = 25).

Ammonium sulfuratum (Ammonia gase hydrosulfurato saturata; ne turbetur addito magnesio sulfurico soluto).

Amyli cum Zinco iodato solutio.

Anilinum sulfuricum.

Aqua Barytae saturata.

Aqua Bromi saturata.

Aqua Calcis.

Aqua Chlori.

Aqua hydrosulfurata saturata.

Argentum nitricum solutum (1 = 20).

Baryum nitricum solutum (1 = 20).

Benzolum (pond. specif. 0·880—0·885; ebull. 80° usque ad 81°).

Bromum.

Calcium carbonicum.

Calcium chloratum fusum.

Calcium hypochlorosum solutum (1 = 10).

Calcium oxydatum.

Calcium sulfuricum (solutio saturata).

Carbo Ligni depuratus.

Carboneum sulfuratum.

Charta exploratoria caerulea, rubra et lutea.

Chloralum hydratum solutum (60 = 100).

Chloroformium.

Collodium.

Cupri oxydati cum ammonia solutio.

Cupri tartarici solutio alcalina.

(I. Cupri sulfurici cryst. 34·6, Aquae ad centim. cub. 500.
II. Kalii natrio tartarici cryst. 173, Natrii hydrooxydati 50, Aquae ad centim. cub. 500.)

Cuprum metallicum.

Cuprum sulfuricum solutum (1 = 10).

Ferrum pulveratum.

Ferrum sesquichloratum solutum (1 = 10).

Ferrum sulfuratum.

Ferrum sulfuricum oxydatum ammoniatum solutum (1 = 20).

Ferrum sulfuricum solutum (Ferri sulfurici, Acidi sulfurici $\overline{aa}$ 1, Aquae 2. Ex tempore parandum).

Fuchsini solutio spirituosa (1 = 100).

Glycerinum.

Hydrargyrum bichloratum solutum (1 = 20).

Hydrargyrum bichloratum cum Kalio iodato (Hydrargyri bichlorati 1·35, Kalii iodati 5, Aquae 100).

Hydrogenium hyperoxydatum solutum.

Iodi cum Kalio iodato solutio (Iodi 1, Kalii iodati 2, Aquae 97).

Kalium aceticum solutum.

Kalium bichromicum solutum (1 = 20).

Kalium carbonicum solutum (1 = 5).

Kalium chloricum.

Kalium chromicum solutum (1 = 20).

Kalium ferricyanatum.

Kalium ferrocyanatum.

Kalium hydrooxydatum solutum.

Kalium hypermanganicum solutum (1 = 100; 1 = 1000).

Kalium iodatum.

Kalium nitricum.

Kalium sulfuricum.

Laccae musci solutio neutralis.

Magnesium sulfuricum solutum (1 = 10).

Manganum hyperoxydatum nativum.

Natrium boricum.

Natrium carbonicum crystallisatum.

Natrium carbonicum solutum (1 = 4).

Natrium chloratum solutum (1 = 10).

Natrium hydrocarbonicum.

Natrium hydrooxydatum solutum.

Natrium hydrosulfurosum solutum (3 = 10).

Natrium phosphoricum solutum (1 = 20).

Natrium sulfuricum solutum (1 = 10).

Nessleri solutio (Rp. Kalii iodati 2, Hydrargyri bichlorati 4, solve in Aquae fervidae 5. Solutioni refrigeratae adde Aquae 20 et filtra. Tum admisce Kalii hydrooxydati soluti 30. Sepone, decanta, serva).

Oleum aethereum Sassafras.

Paraffinum liquidum.

Phenolphtaleini solutio spirituosa (1 = 100).

Plumbum aceticum solutum (1 = 10).

Plumbum aceticum basicum solutum.

Plumbum carbonicum.

Spiritus Vini.

Spiritus Vini dilutus.

Stannum chloratum solutum. (Stanni chlorati crystallisati 5, contere cum Acidi hydrochlorici 1; miscellam satura cum gase hydrochlorico. Solutio obtenta post sedimentationem filtretur per amianthum et servetur in lagenulis plane repletis cum epistomiis vitreis clausis.)

Zinci chlorati cum Iodo solutio.

Zincum granulatum et in pulvere.

Solutiones volumetricae.

Solutio acidimetrica normalis

1 ccm = 0·040 NaOH.

Solutio acidimetrica decinormalis

1 ccm = 0·0040 NaOH.

Solutio alcalimetrica normalis

1 ccm = 0·0365 ClH.

Solutio alcalimetrica seminormalis

1 ccm = 00·183 ClH.

Solutio alcalimetrica decinormalis

1 ccm = 0·0037 ClH.

Solutio Ammonii rhodanati decinormalis.

1 ccm = 0·0076 $CN\ SNH_4$.

Solutio Argenti nitrici decinormalis

1 ccm = 0·017 $AgNO_3$.

Solutio Iodi decinormalis

1 ccm = 0·0127 I.

Solutio Kalii bromati volumetrica

1 ccm = 0·0059 KBr.

Solutio Kalii bromici volumetrica

1 ccm = 0·0017 $KBrO_3$.

Solutio Kalii hydrooxydati alcoholica seminormalis

1 ccm = 0·0280 KOH.

Solutio Kalii hypermanganici volumetrica

1 ccm = 0·0032 $KMnO_4$.

Solutio Natrii chlorati decinormalis

1 ccm = 0·0059 NaCl.

Solutio Natrii thiosulfurici decinormalis

1 ccm = 0·02483 $Na_2S_2O_3 + 5\ H_2O$.

B. Utensilia et instrumenta.

Tubuli probatorii diametri millimetrorum 20 minimum Nr. 24.

Cucurbitae vitreae minores 100—200 centimetra cubica capientes.

Retortae vitreae minores.

Ollae vitreae complures magnitudinis diversae.

Vitra concava et patinae vitreae nonnullae.

Infundibula vitrea ad filtrationem apta.

Tubi vitrei infundibuliformes.

Tubi vitrei ad iuncturam apparatuum inservientes.

Bacilli vitrei complures.

Lagenae vitreae epistomio vitreo 100—300 ccm capientes.

Infundibula separatoria.

Lagenulae aptae ad trutina examinandum altitudinis millimetrorum 30, in diametro 40 millimetra.

Cucurbita vitrea aquam instar siphonis spargens.

Tubi et cylindri vitrei gradati ad mensurandos liquores apti.

Patinae porcellaneae minores.

Crucibula porcellanea cum operculo.

Utensilia ad analyses volumetricas perficiendas imprimis necessaria et quidem:

a) Cucurbitae, quae mensuram unius litrae, semilitrae et quadrantis litrae, centimetrorum cubicorum 150 et 100 accurate determinare sinunt.

b) Burettae sic dictae in centimetra cubica eiusque decimas partes divisae minimum Nr. 2.

c) Pipettae diversae, quae volumen centimetrorum cubicorum 5, 10, 20, 25, 50 et 100 exacte indicant.

Cucurbitae parvae vitreae aptae ad examinandos gradus ebullitionis.

Balneum aquae.

Apparatus exsiccatorius ope acidi sulfurici concentrati.

Lampas vitrea.

Catinum platineum cum operculo excávato.

Patella platinea.

Lamina et filum Platinae.

Forceps.

Triangulum ad ignitionem crucibulorum.

Ustor Bunsenii vel lampas Berzelii.

Apparatus pro extricatione gasis hydrosulfurati, chlori etc.

Tubuli capillares et annuli elastici ad determinationem gradus liquescentiae inservienda.

Excipulum Woulffianum.

Scrinium exsiccatorium.

Areometra ad explorandum pondus specificum corporum fluidorum tum aqua leviorum quum graviorum.

Alcoholometrum.

Thermometra 2, quorum unum temperaturas — 15° usque + 120°, alterum temperaturas + 120° usque 300° indicat.

Repositorium pro filtris.

Rete e filis ferreis.

Filtra et charta bibula.

Ferrum in filis.

Mortaria vitrea et porcellanea.

Modulus ferreus.

Lens.

Microscopium, quo imagines minime ter vel quater centies màiores augentur.

Reliqua utensilia et instrumenta ad explorationem ope microscopii maxime necessaria et quidem:

Novacula;

Acus praeparatoriae Nr. 2;

Volsella.

Vitra plana forma rectangula ad recipiendum et vitra tenuia forma quadrata ad obtegendum obiectum microscopio explorandum.

Trutina analytica, qua si utraque lanx 50 grammatum pondere oneratur unius milligrammatis superpondium indicatur.

Picnometrum.

TABULAE.

Tabula I,

exhibens medicamina, quae in scrinio secluso servanda sunt in lagenis signatis litteris albis in substrato nigro.

Acidum arsenicosum.
Atropinum sulfuricum.
Hydrargyrum bichloratum ammoniatum.
Hydrargyrum bichloratum corrosivum.
Hydrargyrum oxydatum flavum.
Pastilli Hydrargyri bichlorati corrosivi.
Phosphorus. *)
Physostigminum salicylicum.
Pillulae Acidi arsenicosi compositae.
Solutio arsenicalis Fowleri.
Strychninum nitricum.
Veratrinum.

---

*) Quod attinet ad servandum Phosphorum vide pag 281.

Tabula II,

exhibens medicamina, quae a reliquis separata servanda sunt in receptaculis signatis litteris rubris in substrato albo.

Acetanilidum.
Acetphenetidinum.
Acidum aceticum concentratum.
Acidum carbolicum.
Acidum carbolicum liquefactum.
Acidum hydrochloricum concentratum.
Acidum nitricum concentratum.
Acidum nitricum fumans.
Acidum sulfuricum concentratum.
Aethylum chloratum.
Ammonia.
Amylium nitrosum.
Antipyrinum.
Antipyrinum Coffeïno-citricum.
Antipyrinum salicylicum.
Apomorphinum hydrochloricum.
Aqua Laurocerasi.
Argentum nitricum crystallisatum.
Argentum nitricum fusum.
Cantharides.
Chloralum hydratum.
Chloroformium.
Chloroformium pro narcosi.
Cocaïnum hydrochloricum.
Codeïnum hydrochloricum.

Coffeïnum.
Coffeïnum Natrio benzoicum.
Extractum Belladonnae.
Extractum Cannabis Indicae.
Extractum Colocynthidis.
Extractum Fungi Secalis.
Extractum Fungi Secalis fluidum.
Extractum Hyoscyami.
Extractum Opii.
Extractum Scillae.
Extractum Strychni.
Folia Belladonnae.
Folia Digitalis.
Folia Hyoscyami.
Folia Stramonii.
Formaldehydum solutum.
Fructus Colocynthidis.
Fungus Laricis.
Fungus Secalis.
Guaiacolum carbonicum.
Gummiresina Euphorbium.
Gummiresina Gutti.
Herba Cannabis Indicae.
Herba Conii.
Herba Lobeliae.
Herba Sabinae.
Hydrargyrum chloratum mite.
Hydrargyrum iodatum flavum.
Hydrargyrum tannicum.
Iodoformium.
Iodum.
Kalium hydrooxydatum.

Kalium hydrooxydatum solutum.
Kreosotum.
Kreosotum carbonicum.
Kresolum.
Kresolum liquefactum.
Liquor acidus Halleri.
Morphinum diacetylicum.
Morphinum hydrochloricum.
Natrium hydrooxydatum.
Natrium hydrooxydatum solutum.
Oleum Crotonis.
Oleum phosphoratum.
Oleum Sinapis aethereum.
Opium.
Pilocarpinum hydrochloricum.
Pilulae Kreosoti.
Plumbum aceticum.
Protargolum.
Pulvis Ipecacuanhae opiatus.
Radix Belladonnae.
Radix Ipecacuanhae.
Radix Ialapae.
Resina Ialapae.
Resina Podophylli.
Resorcinum.
Santoninum.
Semen Colchici.
Semen Sabadillae.
Semen Strophanthi.
Semen Strychni.
Stibium Kalio-tartaricum.
Sulfonalum.

Theobrominum.
Theobrominum Natrio-salicylicum.
Tinctura Belladonnae.
Tinctura Cantharidum.
Tinctura Colchici.
Tinctura Digitalis.
Tinctura Ipecacuanhae.
Tinctura Iodi.
Tinctura Lobeliae.
Tinctura Opii crocata.
Tinctura Opii simplex.
Tinctura Strophanthi.
Tinctura Strychni.
Trionalum.
Vinum Stibii Kalio-tartarici.
Zincum chloratum.

Tabula III,

exhibens doses medicaminum pro adulto, ultra quas medicus ne praescribat nisi addito signo exclamationis: !

	Dosis maxima	
	singula	pro die
	grammata	
Acetanilidum	0·5	2·0
Acetphenetidinum	1·0	3·0
Acidum arsenicosum	0·005	0·02
Acidum carbolicum	0·1	0·5
Antipyrinum	2·0	6·0
Antipyrinum Coffeïno-citricum . .	1·5	3·0
Antipyrinum salicylicum	2·0	6·0
Apomorphinum hydrochloricum . .	0·01	0·05
Aqua Laurocerasi	1·5	5·0
Argentum nitricum	0·03	0·2
Atropinum sulfuricum	0·001	0·003
Cantharides	0·05	0·2
Chloralum hydratum	3·0	6·0
Chloroformium	0·5	1·5
Cocaïnum hydrochloricum	0·05	0·15
Codeïnum hydrochloricum	0·05	0·3
Coffeïnum	0·2	0·6
Coffeïnum Natrio-benzoicum . . .	0·5	1·5

	Dosis maxima	
	singula	pro die
	grammata	
Cuprum sulfuricum (qua emeticum)	0·5	—
Extractum Belladonnae	0·05	0·2
Extractum Cannabis Indicae . . .	0·1	0·3
Extractum Colocynthidis	0·05	0·2
Extractum Fungi Secalis	0·5	1·5
Extractum Fungi Secalis fluidum . .	1·0	3·0
Extractum Hyoscyami	0·1	0·5
Extractum Opii	0·1	0·5
Extractum Scillae	0·2	1·0
Extractum Strychni	0·05	0·1
Folia Belladonnae	0·2	0·6
Folia Digitalis	0·2	0·6
Folia Hyoscyami	0·3	1·0
Folia Stramonii	0·3	1·0
Fructus Colocynthidis	0·3	1·0
Fungus Laricis	0·3	1·0
Fungus Secalis (Secale cornutum) .	1·0	5·0
Guaiacolum carbonicum	0·5	5·0
Gummiresina Gutti	0·3	1·0
Herba Conii	0·3	2·0
Hydrargyrum bichloratum corrosivum	0·03	0·1
Hydrargyrum iodatum flavum . . .	0·05	0·2
Hydrargyrum oxydatum flavum . .	0·03	0·1
Iodoformium	0·2	1·0
Iodum	0·03	0·1

	Dosis maxima singula	Dosis maxima pro die
	grammata	
Kreosotum	0·3	1·0
Kreosotum carbonicum	0·5	3·0
Morphinum diacetylicum (Heroinum)	0·01	0·05
Morphinum hydrochloricum . . .	0·03	0·1
Oleum Crotonis	0·05	0·1
Oleum phosphoratum	1·0	5·0
Opium	0·15	0·5
Phenylum salicylicum	2·0	6·0
Phosphorus	0·001	0·005
Physostigminum salicylicum . . .	0·001	0·003
Pilocarpinum hydrochloricum . . .	0·03	0·06
Plumbum aceticum	0·1	0·5
Radix Belladonnae	0·1	0·5
Resina Podophylli	0·05	0·2
Resorcinum	0·5	5·0
Santoninum	0·1	0·3
Semen Strychni	0·1	0·2
Solutio arsenicalis Fowleri	0·5	2·0
Stibium Kalio-tartaricum	0·2	0·5
Strychninum nitricum	0·01	0·02
Sulfonalum (qua hypnoticum) . . .	2·0	—
Theobrominum Natrio-salicylicum .	1·0	6·0
Tinctura Belladonnae	1·0	4·0
Tinctura Cantharidum	0·5	1·5
Tinctura Colchici	1·5	5·0
Tinctura Digitalis	1·5	5·0

	Dosis maxima	
	singula	pro die
	grammata	
Tinctura Iodi	0·3	1·0
Tinctura Lobeliae	1·0	5·0
Tinctura Opii crocata	1·5	5·0
Tinctura Opii simplex	1·5	5·0
Tinctura Strophanthi	0·5	2·0
Tinctura Strychni	1·0	2·0
Trionalum (qua hypnoticum) . . .	2·0	—
Veratrinum	0·005	0·02
Zincum sulfuricum (qua emeticum) .	1·0	—

Tabula IV,

exhibens medicamina, quorum dispensatio absque medici legitimi praescriptione pharmacopolae interdicta est, in textu pharmacopoeae et eius appendice signata litteris obliquis crassioribus.

Acetanilidum.
Acetphenetidinum.
Acidum arsenicosum.
Acidum carbolicum.
Acidum carbolicum liquefactum.
Aether pro narcosi.
Aethylum chloratum.
Aloë.
Amylium nitrosum.
Antipyrinum.
Antipyrinum Coffeïno-citricum.
Antipyrinum salicylicum.
Apomorphinum hydrochloricum.
Aqua Laurocerasi.
Argentum nitricum crystallisatum.
Argentum nitricum fusum.
Atropinum sulfuricum.
Bismuthum subgallicum.
Bismuthum subsalicylicum.
Cantharides.
Chloralum hydratum.
Chloroformium.
Chloroformium pro narcosi.
Cocaïnum hydrochloricum.

Codeïnum hydrochloricum.
Coffeïnum.
Coffeïnum Natrio-benzoïcum.
Cuprum sulfuricum.
Extractum Aloës.
Extractum Belladonnae.
Extractum Cannabis Indicae.
Extractum Colocynthidis.
Extractum Filicis maris.
Extractum Fungi Secalis.
Extractum Fungi Secalis fluidum.
Extractum Granati.
Extractum Hamamelidis fluidum.
Extractum Hydrastidis fluidum.
Extractum Hyoscyami.
Extractum Opii.
Extractum Rhei compositum.
Extractum Scillae.
Extractum Strychni.
Folia Belladonnae.
Folia Digitalis.
Folia Hyoscyami.
Folia Stramonii.
Formaldehydum solutum.
Fructus Colocynthidis.
Fructus Papaveris.
Fungus Laricis.
Fungus Secalis.
Guaiacolum carbonicum.
Gummiresina Euphorbium.
Gummiresina Gutti.
Herba Adonidis.

Herba Cannabis Indicae.
Herba Conii.
Herba Convallariae.
Herba Lobeliae.
Herba Sabinae.
Hydrargyrum bichloratum ammoniatum.
Hydrargyrum bichloratum corrosivum.
Hydrargyrum chloratum mite.
Hydrargyrum iodatum flavum.
Hydrargyrum oxydatum flavum.
Hydrargyrum tannicum.
Iodoformium.
Iodum.
Kreosotum.
Kreosotum carbonicum.
Kresolum.
Kresolum liquefactum.
Liquor acidus Halleri.
Morphinum diacetylicum.
Morphinum hydrochloricum.
Oleum Crotonis.
Oleum phosphoratum.
Oleum Sinapis aethereum.
Opium.
Pastilli Hydrargyri bichlorati corrosivi.
Phenylum salicylicum.
Phosphorus.
Physostigminum salicylicum.
Pilocarpinum hydrochloricum.
Pilulae Acidi arsenicosi compositae.
Pilulae Kreosoti.
Plumbum aceticum.

Plumbum iodatum.
Protargolum.
Radix Belladonnae.
Radix Hydrastidis.
Radix Ipecacuanhae.
Radix Ialapae.
Resina Ialapae.
Resina Podophylli.
Resorcinum.
Santoninum.
Semen Colchici.
Semen Sabadillae.
Semen Strophanthi.
Semen Strychni.
Solutio arsenicalis Fowleri.
Stibium Kalio-tartaricum.
Stibium sulfuratum aurantiacum.
Strychninum nitricum.
Sulfonalum.
Syrupus Ferri iodati.
Syrupus Ipecacuanhae.
Syrupus opiatus.
Theobrominum.
Theobrominum Natrio-salicylicum.
Tinctura Belladonnae.
Tinctura Cantharidum.
Tinctura Colchici.
Tinctura Digitalis.
Tinctura Ipecacuanhae.
Tinctura Iodi.
Tinctura Lobeliae.
Tinctura Opii crocata.

Tinctura Opii simplex.
Tinctura Strophanthi.
Tinctura Strychni.
Trionalum.
Veratrinum.
Vinum Stibii Kalio-tartarici.
Zincum chloratum.
Zincum sulfocarbolicum.
Zincum sulfuricum.

Tabula V,

exhibens symbola et pondera atomica corporum simplicium praecipuorum.

Corpora	Symbola	Pondus atomae
Aluminium	Al	27·1
Argentum	Ag	107·93
Arsenicum	As	75·0
Aurum	Au	197·2
Baryum	Ba	137·4
Bismuthum	Bi	208·5
Borum	B	11
Bromum	Br	79·96
Cadmium	Cd	112·4
Calcium	Ca	40·1
Carbonium	C	12
Chlorum	C	35·45
Chromium	Cr	52·1
Cuprum	Cu	63·6
Ferrum	Fe	55·9
Hydrargyrum	Hg	200
Hydrogenium	H	1·008
Iodum	I	126·97
Kalium		39·15
Lithium	Li	7·03
Magnesium	Mg	24·36
Manganum	Mn	55
Molybdaenum	Mo	96
Natrium	Na	23·05

Corpora	Symbola	Pondus atomae
Nitrogenium	N	14·04
Oxygenium	O	16
Phosphorus	P	31
Platinum	Pt	194·8
Plumbum	Pb	206·9
Silicium	Si	28·4
Stannum	Sn	119
Stibium	Sb	120·2
Strontium	Sr	87·6
Sulfur	S	32·06
Uranium	Ur	238·5
Wolframum	W	184
Zincum	Zn	65·4

Tabula VI,

docens pondera molecularia corporum compositorum in pharmacopoea receptorum.

	Pondus molecul.
Acetanilidum C_8H_9NO	135·112
Acetphenetidinum $C_{10}H_{13}NO_2$	179·144
Acidum aceticum $C_2H_4O_2$	60·032
„ arsenicosum As_4O_6	396
„ benzoicum $C_7H_6O_2$	122·048
„ boricum BH_3O_3	62·024
„ carbolicum C_6H_6O	94·048
„ chromicum CrO_3	100·1
„ citricum $C_6H_8O_7+H_2O$	210·08
„ hydrochloricum HCl	36·458
„ lacticum $C_3H_6O_3$	90·048
„ nitricum HNO_3	63·048
„ phosphoricum H_3PO_4	98·024
„ pyrogallicum $C_6H_6O_3$	126·048
„ salicylicum $C_7H_6O_3$	138·048
„ sulfuricum H_2SO_4	98·076
„ tannicum $C_{14}H_{10}O_9$	322·08
„ tartaricum $C_4H_6O_6$	150·048
Aether $C_4H_{10}O$	74·08
„ aceticus $C_4H_8O_2$	88·064
„ chloratus C_2H_5Cl	64·49
Alcohol C_2H_6O	46·048
Alumen $Al_2K_2S_4O_{16}+24H_2O$	949·124
Aluminium sulfuricum $Al_2S_3O_{12}+18H_2O$ . . .	666·668
Ammonia NH_3	17·064

	Pondus molecul.
Ammonium aceticum $NH_4C_2H_3O_2$	77·096
„ bromatum NH_4Br	98·032
„ chloratum NH_4Cl	53·522
Amylium nitrosum $C_5H_{11}NO_2$	117·128
Anetholum $C_{10}H_{12}O$	148·096
Antipyrinum $C_{11}H_{12}N_2O$	188·176
„ salicylicum $C_{18}H_{18}N_2O_4$	326·224
Apomorphinum hydrochloricum $C_{17}H_{17}NO_2HCl$	303·634
Aqua H_2O	18·016
Argentum nitricum $AgNO_3$	169·97
Atropinum sulfuricum $2(C_{17}H_{23}NO_3)H_2SO_4$ . .	676·524
Bismutum subnitricum $BiONO_3$	286·54
„ subgallicum $Bi(OH)_2C_7H_5O_5$	411·556
„ subsalicylicum $Bi(C_7H_5O_3)_3.\ Bi_2O_3$.	1084·62
Calcium carbonicum $CaCO_3$	100·1
„ oxydatum CaO	56·1
„ phosphoricum $CaHPO_4+2H_2O$ . . .	172·14
„ sulfuricum ustum $CaSO_4$	136·16
Camphora $C_{10}H_{16}O$	152·128
Carvonum $C_{10}H_{14}O$	150·112
Chininum bisulfuricum $C_{20}H_{24}N_2O_2.H_2SO_4+7H_2O$	548·46
„ hydrochloricum $C_{20}H_{24}N_2O_2HCl+2H_2O$	396·762
„ sulfuricum $(C_{20}H_{24}N_2O_2)_2H_2SO_4+8H_2O$	890·748
Chloralum hydratum $C_2Cl_3H_3O_2$	165·374
Chloroformium $CHCl_3$	119·358
Cocaïnum hydrochloricum $C_{17}H_{21}NO_4.HCl$ . .	339·666
Codeïnum hydrochloricum $C_{18}H_{21}NO_3.HCl+$ $+2H_2O$	371·698
Coffeïnum $C_8H_{10}N_4O_2+H_2O$	212·256
Cuprum sulfuricum $CuSO_4+5H_2O$	249·74
Eugenolum $C_{10}H_{12}O_2$	164·096
Ferrum lacticum $FeC_6H_{10}O_6+3H_2O$	288·028

	Pondus molecul.
Ferrum sesquichloratum $Fe_2Cl_6+12H_2O$ . . .	540·692
„ sulfuricum $FeSO_4+7H_2O$	278·072
Formaldehydum CH_2O	30·016
Glycerinum $C_3H_8O_3$	92·064
Guaiacolum carbonicum $C_{15}H_{14}O_5$	274·112
Hydrargyrum bichloratum ammoniatum $HgNH_2Cl$	251·506
„ bichloratum corrosivum $HgCl_2$ . .	270·9
„ chloratum mite Hg_2Cl_2	470·9
„ iodatum flavum Hg_2I_2	653·94
„ oxydatum HgO	216
„ tannicum oxydulatum $C_{14}H_8Hg_2O_9$	720·064
Hydrogenium hyperoxydatum H_2O_2	34·016
Iodoformium CHI_3	393·918
Kalium aceticum $KC_2H_3O_2$	98·174
„ bromatum KBr.	119.11
„ carbonicum K_2CO_3	138·3
„ chloricum $KClO_3$	122·6
„ hydrooxydatum KOH	56·158
„ hydrotartaricum $KC_4H_5O_6$	188·19
„ hypermanganicum $KMnO_4$	158·15
„ iodatum KI	166·12
„ Natrio-tartaricum $KNaC_4H_4O_6+4H_2O$.	282·296
„ nitricum KNO_3	101·19
o-Kresolum C_7H_8O	108·064
Lithium carbonicum Li_2CO_3	74·06
Magnesium carbonicum $MgCO_3$	84·36
„ oxydatum MgO	40·36
„ sulfuricum $MgSO_4+7H_2O$	246·532
Mentholum $C_{10}H_{20}O$	156·16
Morphinum diacetylicum $C_{21}H_{23}NO_5$	369·224
Morphinum hydrochloricum $C_{17}H_{19}NO_3.HCl+$ $+3H_2O$	375·698

	Pondus molecul.
Naphthalinum $C_{10}H_8$	128·064
β Naphtolum $C_{10}H_8O$	144·064
Natrium boracicum $Na_2B_4O_7+10H_2O$	382·26
„ bromatum NaBr	103·01
„ carbonicum crystallisatum Na_2CO_3+ $+10H_2O$	286·26
Natrium chloratum NaCl	58·5
„ hydrocarbonicum $NaHCO_3$	84·058
„ hydrooxydatum NaOH	40·058
„ iodatum NaI	150·02
„ phosphoricum $Na_2HPO_4+12H_2O$ . .	358·3
„ salicylicum $NaC_7H_5O_3$	160·09
„ sulfuricum $Na_2SO_4+10H_2O$	322·32
Phenylum salicylicum $C_{13}H_{10}O_3$	214·08
Physostigminum salicylicum $C_{15}H_{21}N_3O_2.C_7H_6O_3$	413·336
Pilocarpinum hydrochloricum $C_{11}H_{16}N_2O_2.HCl$.	244·666
Plumbum aceticum $PbC_4H_6O_4+3H_2O$	378·996
„ carbonicum $PbCO_3$	266·9
„ hyperoxydatum rubrum Pb_3O_4 . . .	684·7
„ iodatum PbI_2	460·84
„ oxydatum PbO	222·9
Resorcinum $C_6H_6O_2$	110·048
Saccharinum $C_7H_5O_3NS$	183·14
Saccharum $C_{12}H_{22}O_{11}$	342·176
„ lactis $C_{12}H_{22}O_{11}+H_2O$	360·192
Santoninum $C_{15}H_{18}O_3$	246·144
Stibium Kalio tartaricum $2(SbKC_4H_4O_7)+H_2O$.	664·78
„ sulfuratum aurantiacum Sb_2S_5	400·7
„ „ nigrum Sb_2S_3	336·58
Strychninum nitricum $C_{21}H_{22}N_2O_2.HNO_3$ . . .	397·304
Sulfonalum $C_7H_{16}S_2O_4$	228·248
Theobrominum $C_7H_8N_4O_2$	180·224

	Pondus molecul.
Thymolum $C_{10}H_{14}O$	150·112
Trionalum $C_8H_{18}S_2O_4$	242·264
Veratrinum $C_{37}H_{53}NO_{11}$	687·464
Zincum chloratum $ZnCl_2$	136·3
„ oxydatum ZnO	81·4
„ sulfocarbolicum $Zn(OH.C_6H_4.SO_3)_2 + 7H_2O$	537·712
„ sulfuricum $ZnSO_4 + 7H_2O$	287·572

SYNONYMA.

Synonyma.

Acetum Lithargyri.	Plumbum aceticum basicum solutum.
Acetum quatuor latronum.	Acetum aromaticum.
Acetum radicale.	Acidum aceticum concentratum.
Acidum muriaticum concentratum.	Acidum hydrochloricum concentratum.
Acidum muriaticum dilutum.	Acidum hydrochloricum dilutum.
Acidum nitrico-nitrosum.	Acidum nitricum fumans.
Adeps suillus.	Axungia Porci.
Aether chloratus.	Aethylum chloratum.
Agaricus albus.	Fungus Laricis.
Aloë lucida Capensis.	Aloë.
Ammoniacum.	Gummiresina Ammoniacum.
Ammonia pura liquida.	Ammonia.
Amygdalae amarae.	Semen Amygdali amarum.
Amygdalae dulces.	Semen Amygdali dulce.
Antifebrinum.	Acetanilidum.
Antimonium crudum.	Stibium sulfuratum nigrum.
Aqua Cinnamomi spirituosa.	Aqua Cinnamomi.
Aqua Naphae.	Aqua Aurantii florum.
Arsenicum album.	Acidum arsenicosum.
Asa foetida.	Gummiresina Asa foetida.

Balsamum embryonis.	Aqua aromatica spirituosa.
Balsamum vitae Hoffmanni.	Mixtura oleoso-balsamica.
Bicarbonas Sodae.	Natrium hydrocarbonicum.
Borax.	Natrium boracicum.
Butyrum Cacao.	Oleum Cacao.
Calcaria chlorata.	Calcium hypochlorosum.
Calcaria caustica.	Calcium oxydatum.
Calomel.	Hydrargyrum chloratum mite.
Carrageen.	Alga Carragen.
Caryophylli.	Flores Caryophylli.
Cascara sagrada.	Cortex Rhamni Purshiani.
Castoreum Anglicanum. Castoreum Canadense.	Castoreum.
Cereoli medicati.	Bacilli medicati.
Cerussa.	Plumbum carbonicum.
Chininum ferro-citricum.	Ferrum citricum chiniatum.
Chininum sulfuricum basicum.	Chininum sulfuricum.
Chininum sulfuricum neutrum.	Chininum bisulfuricum.
Chlorina liquida.	Aqua Chlori.
Chlorum solutum.	Aqua Chlori.
Chrysarobinum.	Araroba depurata.
Colla piscium.	Ichthyocolla.
Cortex Cinnamomi Ceylanici.	Cortex Cinnamomi.
Cortex fructus Aurantii.	Pericarpium Aurantii.
Crême céleste.	Unguentum leniens.
Cremor tartari.	Kalium hydrotartaricum.
Crocus.	Flores Croci.
Electuarium aperiens.	Electuarium lenitivum.
Elixirium acidum Halleri.	Liquor acidus Halleri.
Emplastrum Anglicanum.	Tela sericea adhaesiva.
Emplastrum Cerussae.	Emplastrum Plumbi carbonici.
Emplastrum Diachylon compositum.	Emplastrum Plumbi compositum.
Emplastrum Diachylon linteo-extensum.	Emplastrum adhaesivum.

Emplastrum Diachylon simplex.	Emplastrum Plumbi simplex.
Emplastrum fuscum.	Emplastrum Plumbi hyperoxydati.
Emplastrum Iaegeri.	Emplastrum Cantharidum perpetuum.
Emplastrum Ianini.	Emplastrum Cantharidum perpetuum.
Emplastrum Lithargyri compositum.	Emplastrum Plumbi compositum.
Emplastrum Lithargyri simplex.	Emplastrum Plumbi simplex.
Emplastrum mercuriale.	Emplastrum Hydrargyri.
Emplastrum Minii.	Emplastrum Plumbi hyperoxydati.
Emplastrum vesicans.	Emplastrum Cantharidum.
Emulsio communis.	Emulsio amygdalina.
Ergotinum.	Extractum Fungi Secalis.
Eserinum salicylicum.	Physostigminum salicylicum.
Euphorbium.	Gummiresina Euphorbium.
Extractum Acori.	Extractum Calami aromatici.
Extractum Cascarae sagradae.	Extractum Rhamni Purshiani fluidum.
Extractum Chinae frigide paratum.	Extractum Chinae.
Extractum Ferri pomatum.	Extractum Pomi ferratum.
Extractum haemostaticum.	Extractum Fungi Secalis.
Extractum Laudani.	Extractum Opii.
Extractum Malatis Ferri.	Extractum Pomi ferratum.
Extractum nucis vomicae.	Extractum Strychni.
Extractum Punicae Granati.	Extractum Granati.
Extractum Secalis cornuti.	Extractum Fungi Secalis.
Extractum Secalis cornuti fluidum.	Extractum Fungi Secalis fluidum.
Flavedo Aurantii corticis.	Pericarpium Aurantii.
Flores Benzoës.	Acidum benzoicum.
Flores Cinae Levantici.	Flores Cinae.
Flores Sulfuris loti.	Sulfur depuratum.

Flores Zinci.	Zincum oxydatum.
Folia Sennae sine resina.	Folia Sennae praeparata.
Folliculi Sennae.	Fructus Sennae.
Fungus Chirurgorum.	Fungus igniarius.
Galbanum.	Gummiresina Galbanum.
Gummi Arabicum.	Gummi Acaciae.
Gummi elasticum depuratum.	Resina elastica depurata.
Gutti.	Gummiresina Gutti.
Hepar sulfuris kalinum.	Kalium sulfuratum.
Herba Iaceae.	Herba Violae tricoloris.
Infusum laxativum.	Infusum Sennae compositum.
Kali causticum.	Kalium hydrooxydatum.
Kalium Stibii tartaricum.	Stibium Kalio-tartaricum.
Lac sulfuris.	Sulfur praecipitatum.
Lanolinum.	Adeps Lanae hydrosus.
Lanolinum anhydricum.	Adeps Lanae.
Lapis causticus.	Kalium hydrooxydatum.
Lapis infernalis.	Argentum nitricum fusum.
Lapis infernalis mitigatus.	Argentum nitricum cum kalio nitrico.
Laudanum.	Opium.
Laudanum liquidum Sydenhami.	Tinctura Opii crocata.
Lignum Campechianum.	Lignum Haematoxyli.
Lignum Sassafras.	Radix Sassafras.
Limatura ferri.	Ferrum pulveratum.
Limonada purgativa.	Potio Magnesii citrici effervescens.
Linimentum Capsici compositum.	Liquor Capsici compositus.
Linimentum volatile.	Linimentum ammoniatum.
Liquor Aluminii acetici.	Aluminium aceticum solutum.
Liquor Ammonii acetici.	Ammonium aceticum solutum.

Liquor Ammonii caustici.	Ammonia.
Liquor Burrowii.	Aluminium aceticum solutum.
Liquor Hoffmanni.	Spiritus Aetheris.
Liquor Kalii acetici.	Kalium aceticum solutum.
Liquor Kalii arsenicosi.	Solutio arsenicalis Fowleri.
Liquor Kalii caustici.	Kalium hydrooxydatum solutum.
Liquor Natrii caustici.	Natrium hxdrooxydatum solutum.
Lithargyrum.	Plumbum oxydatum.
Lupulinum.	Glandulae Lupuli.
Macis.	Arillus Myristicae.
Magisterium Bismuthi.	Bismuthum subnitricum.
Magnesia alba.	Magnesium carbonicum.
Magnesia usta.	Magnesium oxydatum.
Mastiche.	Resina Mastix.
Mercurius praecipitatus albus.	Hydrargyrum bichloratum ammoniatum.
Mercurius praecipitatus flavus.	Hydrargyrum oxydatum flavum.
Mercurius sublimatus corrosivus.	Hydrargyrum bichloratum corrosivum.
Minium.	Plumbum hyperoxydatum rubrum.
Mixtura oleosa.	Emulsio oleosa.
Mixtura sulfurica acida.	Liquor acidus Halleri.
Mucilago Gummi arabici.	Mucilago Gummi Acaciae.
Myrrha.	Gummiresina Myrrha.
Natrium bicarbonicum.	Natrium hydrocarbonicum.
Nitrum depuratum.	Kalium nitricum.
Nux moschata.	Semen Myristicae.
Nux vomica.	Semen Strychni.
Oleum Anthos.	Oleum Rosmarini.
Oleum cadinum.	Oleum Iuniperi empyreumaticum.

Oleum Castoris.	Oleum Ricini.
Oleum corticis Aurantii.	Oleum Aurantii pericarpii.
Oleum nucis moschatae expressum.	Oleum Myristicae expressum.
Olibanum.	Gummiresina Olibanum.
Opodeldoc.	Linimentum saponato-camphoratum.
Orthokresolum.	Kresolum.
Pennawar-Diambi.	Paleae haemostaticae.
Phenacetinum.	Acetphenetidinum.
Phenolum.	Acidum carbolicum.
Phenyldimethylpyrazolonum.	Antipyrinum.
Pilulae Asiaticae.	Pilulae Acidi arsenicosi compositae.
Podophyllinum.	Resina Podophylli.
Protoioduretum Hydrargyri.	Hydrargyrum iodatum flavum.
Pulpa Tamarindorum cruda.	Fructus Tamarindi.
Pulu.	Paleae haemostaticae.
Pulvis Doweri.	Pulvis Ipecacuanhae opiatus.
Pyrogallolum.	Acidum pyrogallicum.
Rhizoma Acori.	Radix Calami aromatici.
Rhizoma Arnicae.	Radix Arnicae.
Rhizoma Filicis maris.	Radix Filicis maris.
Rhizoma Graminis.	Radix Graminis.
Rhizoma Hydrastis.	Radix Hydrastidis.
Rhizoma Iridis.	Radix Iridis.
Rhizoma Valerianae.	Radix Valerianae.
Rhizoma Zedoariae.	Radix Zedoariae.
Rhizoma Zingiberis.	Radix Zingiberis.
Saccharum Saturni.	Plumbum aceticum.
Sal amarus.	Magnesium sulfuricum.
Sal gemmae.	Natrium chloratum.
Sal Glauberi.	Natrium sulfuricum.
Sal Seignetti.	Kalium Natrio-tartaricum.

Sassaparilla de Honduras.	Radix Sarsaparillae.
Secale cornutum.	Fungus Secalis.
Species laxantes St. Germain.	Species laxantes.
Spiritus Ferri sesquichlorati aethereus.	Solutio Ferri chlorati spirituoso-aetherea.
Spiritus Melissae compositus.	Spiritus aromaticus.
Spiritus salis ammoniaci anisatus.	Liquor Ammoniae anisatus.
Spiritus Terebinthinae.	Oleum Terebinthinae rectificatum.
Stipites Dulcamarae.	Caules Dulcamarae.
Sulfur auratum Antimonii.	Stibium sulfuratum aurantiacum.
Summitates Sabinae.	Herba Sabinae.
Syrupus Diacodii.	Syrupus opiatus.
Syrupus emulsivus.	Syrupus amygdalinus.
Syrupus mannatus.	Syrupus Sennae cum Manna.
Syrupus Naphae.	Syrupus Aurantii florum.
Syrupus Papaveris.	Syrupus opiatus.
Syrupus Sennae cum Manna.	Syrupus Sennae compositus.
Talcum Venetum.	Talcum.
Tanninum.	Acidum tannicum.
Tartarus depuratus.	Kalium hydrotartaricum.
Tartarus emeticus.	Stibium Kalio-tartaricum.
Tartarus natronatus.	Kalium Natrio-tartaricum.
Tartarus stibiatus.	Stibium Kalio-tartaricum.
Terebinthina communis.	Balsamum Terebinthina.
Tinctura Acori.	Tinctura Calami aromatici.
Tinctura Aurantii corticis.	Tinctura Aurantii.
Tinctura Ferri pomati.	Tinctura Pomi ferrata.
Tinctura Laudani.	Tinctura Opii simplex.
Tinctura malatis Ferri.	Tinctura Pomi ferrata.
Tinctura nucis vomicae.	Tinctura Strychni.
Tinctura stomachica.	Tinctura amara.
Tubera Ialapae.	Radix Ialapae.
Tubera Salep.	Radix Salep.

Unguentum album.	Unguentum Plumbi carbonici.
Unguentum Cerussae.	Unguentum Plumbi carbonici.
Unguentum Diachylon.	Unguentum Plumbi oxydati.
Unguentum emolliens.	Unguentum leniens.
Unguentum Lithargyri.	Unguentum Plumbi oxydati.
Unguentum Zinci Wilsonii.	Unguentum Zinci.
Vinum stibiatum.	Vinum Stibii Kalio-tartarici.

INDEX GENERALIS.

Index generalis.

Corrigenda.

Pagina 63 linea 12. a super. loco: eformant lege: efformant.
„ 74 linea 6. ab infer. loco: 23 lege: centesimas 23.
„ 81 linea 5. ab infer. loco: hydrargyri bichlorati lege: hydrargyri chlorati mitis.
„ 115 linea ultima loco: supe-raffunde lege: super-affunde.
„ 116 linea 4. ab infer. loco: *Canabis* lege: *Cannabis*.
„ 118 linca 15. a super. loco: dimidia lege: dimidiae.
„ 130 linea 3. ab infer. loco: pulvere Gummi Acaciae lege: pulvere Sacchari Lactis.
„ 132. linea 6. a super. loco: admiscea 5 lege: admisceas.
„ 150 linea 16. a super. loco: dignoscendi lege: dignoscendis.
„ 217 linea 10. ab infer. loco: decigrammatum lege: centigrammatum.
„ 231 linea ultima. loco: Keosotal lege: Kreosotal.
„ 247 linea 11. a super. loco: acidi iodici lege: acidi iodici cum amylo soluto mixta.
„ 250 linea 9. ab infer. loco: ne nisi lege: ne nisi minime.
„ 279 linea 4. ab infer. loco: centrimetris lege: centimetris.
„ 313 linea 9. a super. loco: flavum lege: flavus.
„ 338 linea 14. a super. loco: cincris lege: cineris.
„ 348 linea 13. a super. loco: Melitoti lege: Meliloti.
„ 364 linea 7. a super. loco: Syrupo Ferri iodato lege: Syrupo Ferri iodati.
„ 393 linea 15. a super. loco: partibus lege: grammis.
„ 398 linea 16 et pagina 399 linea 2. a super. loco: Servetura lege: Servetur a.
„ 430 linea 2. a super. loco: 00·183 ClH lege: 0·0183 ClH.
„ 451 symbolum ad Chlorum loco: C lege: Cl et ad Kalium K.
„ 464 ad Infusum Sennae compositum praeterea: Infusum Sennae cum Manna.

VIENNÆ.

CÆS. REG. AULÆ ET IMPERII TYPOGRAPHIA.

1906.